

tis falsa voluptatum dulcedine obæcator ap-
primè sanat, & illuminat, ut videant conside-
rando peccati turpitudinem, in qua prius ca-
ligando tentabant suavitatem; & ut vexa-
tio dat intellectum, sic adversitas sanat cæ-
citatem peccatorum, si tamen eã vngantur,
hoc est, seria reflexione considerationi appli-
centur amara peccati sequela

S. IV. Tobias uxorem accipit, &
nuptias celebrat. Cap: 7. 8. & 9

Textus: Tobias dixit (ad Raguelem) promittas mihi dare fi-
saram filiam tuam... Fecerunt conscriptionem conju-
gii C. 7. v. 10. 16. = Hortatus est virginem Tobias. his
tribus noctibus Deo jungimur. tertiam autem transacta
nocte in nostro erimus conjugio... De omnibus autem que
possidebat Raguelem, dimidiam partem dedit Tobias. C. 8.
v. 4. 24. = Accesserunt ad convivium: sed & cum timore
Soni nuptiarum convivium exercebant. C. 9. v. 12.

Postquam Tobias, comite Raphaelle (sibi ad-
huc sub nomine Azaria ex cap: 5. v. 18.) perve-
nisset in civitatem Rages, multa que ab eo
circa servatas piscis illius partes fuisset e-
doctus (cap: 6.) ab eodem persuadetur ut Sa-
ram unicum Raguelem filiam, sibi petat in
ma-

matrimonium, instruiturque quomodo sit
 suscipiendum conjugium. Ingressi itaque
 ad Raguel benigne suscepti sunt, inde-
 que Tobias Saram eius filiam petiit in uxo-
 rem: annuit pater ex Raphaelis consilio, &
 conscriptis illico conjugii litteris, nuptiarum
 parantur solemnia. Post cenam Tobias
 uxoris thalamum ingressus, Raphaelis ser-
 vans doctrinam, cor & jecur assavit piscis,
 sicque fugato per Angelum daemone, To-
 bias & Sara orantes, ac per triduum à
 maritali congressu abstinentes, servati sunt
 indemnes: quare Sara parentes, actis Deo
 gratias, ac repleto, quod paratum erat se-
 pulchro, pro dote medietatem bonorum
 assignarunt cedente & alia medietate
 post parentum obitum; moxque laeti cum
 amicis & vicinis sunt epulati. Interea Ra-
 phael rogatu Tobias ad Gabellum perre-
 xit, recuperatam pecuniam Chirographum
 reddidit, & Gabellum ipsum ad Tobias
 nup-

nuptias secum adduxit.

291.

Promittas mihi dare Saram, dicebat Tobias ad Raguellem ejus patrem, qui primo expavit, ne filia eveniret, quod cum prioribus septem, qui cum eadem sibi in uxorem successive oblinuissent, ante congressum, à damore fuerant occisi; sed Angelica confortatus cautione, cessavit prudente priori anxietate quâ parentes angere per congruum est, ne filias suas primo cuique ambienti nubendas concedant; sed & Tobias in petendo tanta fuit resolutio, quia angelico directus consilio, paterno quæ prædoctus monito, unicam cupiebat Saram in uxorem, filiorum procreandorum amore, nulla verò ductus libidine: adverte etiam his in omnibus Divinam providentiam, quod hanc Saram Tobias filius nunc expetat, quæ simul cum Tobias patre afflicta, exoravit, & exaudita est, ut notavimus supra §. II.

Fecerunt conscriptionem conjugii, seu authenticum instrumentum, in quo firmarentur conditione-

292 ditiones & pacta conjugii, uti præmaturè fieri expedit & firmari, nè sponsi post conjugium litibus ac discordiis subjaceant, sed ante illud maturam circa omnia notitiam habentes, claram & ex omni parte liberam & immutabilem consensum præstent: hic quoque innuitur sponsis habendus pro posse parentum consensus, ubi lex divina aliud clarè non urget.

Hortatus est virginem Tobias; optimum ponens conjugii fundamentum, prius quæ maritalem, piè exercens auctoritatem, quam licentiam carnalem; adhuc virginem hortatur, ut puræ doctrinæ suscipiendæ aphiorem.

His tribus diebus noctibus Deo jungimur, uti præceperat Raphael. abstinere, per triduum orantes, à consummatione matrimonii, ut eam demonem fugarent temperantia, quod utinam Christiani imitarentur conjuges, ut ampliorem à Deo promererentur sui conjugii benedictionem, facto profitentes, se non luxuriæ causa illud con-

contraxisse: ad quod conjuges pariter hortatur^{293.}
Sacrosancta Tridentina Synodus Sess: 24.
De Reform: Matrim: cap: 1. 2

Tertia autem trans-
acta nocte in nostro erimus conjugio: laudabi-
liter profecto Tobias uxori, quantum in se est v-
sum, hic pollicetur initi conjugii, quod merè
exhortatoriè ad tres noctes distulerat respectu
consortis, cujus ad hoc consensum, ex Angeli mo-
nito expetierat: semel enim conjugati non nisi
mutuo accedente consensu possunt ad tempus
abstinere abusu illo, jam utrimque ex justitia
debito, exceptis certis casibus, quos decidere Ma-
ralistarum est Theologorum, ut Thomæ Sanchez
& aliorum, quos in hac re citat Claudius La Croix
lib: 6. p. 3. à n. 391. 2

De omnibus autem, quæ posside-
bat Raguel, dimidiam partem dedit Tobie, hoc
est, ut Hebræi addunt, dimidium divitiarum sua-
rum, servos & servas, greges, boves, asinos, & camelos
& vestes lineas & pretiosas, vasa argentea & aurea;
hoc quæ ita, ut altera quoque pars dimidiæ, post
obitum parentum Sare, cederet Tobie; ubi unice

reperio notandum. *Ly. Tobia*, quo & donantis de-
notatur laudabilis munificentia, & *Tobia* indi-
catur cognita fidelitas, & merita, quorum intui-
tu tradita filia, non dotis nomine, nulloque alio
significato gravamine, bona omnimoda liberali
resignantur donatione.

Accesserunt ad convivium,
sed (ut additur) cum timore Dñi, id est, non more
glorum, quorum Deus venter est, sed modesta
hilaritate, & casta sobrietate convivabantur, ne
in ullo Deus offenderetur: quibus edocentur, à
nostris conviviis & mensis arcendas ebrietates,
alias ve intemperantias, iurgia, detractiones, turpes
sermones, & quidquid Deum, aut proximum po-
test offendere, quia S. Gregorio teste, 1. 31. Mor. De
ventris ingluvie, inepta, lœtitia, scurrilitas, im-
munditia, multiloquium, hebetudo sensus circa
intelligentiam, propagantur: quapropter ex
Sapientis consilio: Prov. 23. Noli esse in conviviis
potatorum, nec in commensationibus eorum,
sed *Tobia*, insinuatum secutus exemplum, tua
perage in Dei timore, convivia.



295.

J.V. Tobias cum Sarâ à Rapha-
ele paternam domum reducitur,
ubi se Raphael Angelum decla-
rat. Cap: 10. 11. & 12

Textus: Sollicitus erat pater ejus Tobias... Cumque verbis multis
rogaret Raphael Tobiam, & ille eum nulla ratione vellet au-
dire.. saluum atque gaudentem dimisit eum à se = C. 10. v. 1. 10.
= Tedit itaque Tobias ex felle illo & abierunt. Anna autem
vidit à longe & nunciavit viro suo, dicens: ecce venit filius tu-
us. & cœperunt ambo flere præ gaudio... Sumens Tobias de
felle piscis linivit oculos patris sui... visum recepit, & glori-
ficabant Deum... Narravit parentibus suis omnia beneficia
Dei = C. 11. v. 4. 5. 6. 11. 13. 15. 16. 19 = Ego enim sum Raphael An-
gelus. Benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia ejus. & cū
hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatu est. C. 12. v. 15. 20. 21.

Nuptiis peractis, Tobias ægrè à Raguerele di-
missus, quòd hic præ amore vellet sibi eum con-
tubernalem habere perpetuum; tandem una cū
Angelo, vxore, & ampla suppellectili, ad parentes
suos, ob ipsius moram, valde anxios, revertitur;
cumque jam paternæ domui appropinquarent
à matre Anna, quotidie præ anxietate in montis
cæcumine prospiciente, perspicitur, quæ statim ^{cum} ad-
vocato viro, in ejus revertitur occursum, quem os-
culo recipiunt præ gaudio flentes. Domum ingres-
sus Tobias, patris oculos piscis illius felle Angelo
mo-

296 monente tinivit, atque ita ille sexagenarius
visum recepit: quæ de re, actis Deo gratis, ingē-
ti gaudio per septem dies epulantur, post quos
Tobias uterque Raphaeli pro mercede, beneficiis
que sibi præstitis, medietatem obtulerunt omnium
quæ attulerant; cum ecce Raphael se illis mani-
festat, Dei que Angelum ex præcipuis declarat,
aliaque revelat mysteria; atque illis à stupore
confortatis vale ultimum dicens, disparuit, ac in
cælum reversus est.

Sollicitus erat pater ejus,
qui cum cæcus esset, mater vero senio confecta,
instar oculorum, filium habebat, senectutis
sue babi baculum, vitæque solacium, in quo
spem omnem, suæ statuebant posteritatis: erat
enim unicus, & præ candore, aliis que dolibus di-
lectissimus filius; quem & hujus sæculi deberent
in omnibus imitari filii, ut suis essent parenti-
bus solatio, quibus ex divino præcepto amorem
debent, & honorem; & ipsa dictante natura omni-
modum obsequium, & gratitudinem.

Salvum at-
que

que gaudentem dimisit eum, à se, Raguel, scilicet, qui multis eum voluerat detinere rationibus, quibus tamen amor parentum & eis debita præponderavit grati animi reverentia: ubi piam utrimque agnosce contentionem quam urbana movit Raguelis charitas, & filialis Tobia terminavit pietas: laudanda sanè contentio, quæ de nulla oritur animorum disensione, sed potius à virtuosa provenit voluntatum emulatione, quæ nullam procreat in affectu discordiam, imò fortius copulat partis utriusque concordiam

Tulit ergo Tobias ex felle illo, & abierunt; in peregrinationibus, maxime iis, quas pia movet charitas, ~~est~~ religio, expedit de amaritudinum felle aliquid secum asportare, ne sanctæ intentionis, frustretur meritum, dum in omnibus exquiritur suscepti laboris emolumentum: unde Christus mittens discipulos dicebat: Nolite portare saccum, neque peram, neque calceamenta, & Luc: 10

Capserunt ambo flere præ gaudio, cum filium viderent tot

298
votis desideratum, gaudio fletum movente,
seu letitia lachrymas excitante: quod & ipsa
videatur ordinasse natura, ut nullum in hoc mū-
do putaremus gaudium verum, ubi vel maxi-
mum experimur lachrymis conjunctum, & ap-
parentibus saltem doloris signis permixtum.

De
felle piscis linivit oculos patris: sic plurimum
conducit ad mundi sanandam cecitatem, ocu-
los mentis felle increpationis linire; quod si ad
tempus ope considerationis sustinuerint pecca-
tores, sensim albugo illa concupiscentia decidet
& visum recipient, ut sine offensione possint vi-
am mandatorum currere, & Christo, se toties
vocanti, obviam ire.

Visum recepit, & glorifi-
cabant Deum & grati pro tanto beneficio, om-
nibus que Dei magnalia predicabant, non sue
sed laudis appetentes divina; uti agendum mo-
net Stephanus Pontifex apud Rheginonem his
verbis: Sicut nemo se debet jactare de suis meri-
tis; sic nec debent opera Dei, que in illo per suos
Sanc-

Sanctus fiunt sine suis meritis, sileri, sed prædicari, ^{299.}
uti quoque Raphael Tobiam hic admonet *v. 20.*
cap: 12. dicens:

Ego enim sum Raphael Angelus.
Benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia ejus
ubi se tandem manifestat tanto tempore ignotus
benefactor Angelus, verè *Medicina Dei* appella-
tus, qui diu occultâ medens virtute, perfecta de-
mum manifestatur sanitate: sed & propriè Ange-
lico concludit monito, dum in cælum revolans
æternis Deum laudaturus canticis, Deum quo-
que in terris benedicendum Tobiam præmonet
pro tot receptis beneficiis; ut, cui se comitem præ-
buerat, sibi pro posse relinqueret munere consimi-
lem, tandem que haberet, & gloriæ consortem.

S. VI. Obitus utrius que Tobiae. *Cap: 13.*

& 14.

Textus: Convertimini itaque peccatores, & facite justitiã co-
ram Deo, credentes, quod faciet vobiscum misericordiam
suam. *Cap: 13. v. 8.* Consummati sunt sermones Tobia
sepultus est in Minive. in hora autem mortis sue voca-
vit ad se Tobiam, filium suum. Prope erit interitus Mi-
nive. Tobias abscessit ex Minive. & completis annis no-
naginta novem in timore Domini, cum gaudio sepeliverunt
eum. *Cap: 14. v. 1. 2. 5. 6. 14. 16.* Post

Post Angeli disparitionem, cepit Senior Tobias Deum Cantico benedicere piissimo, prophetavit que de subversione, reedificatione, & futura felicitate Jerusalem. Post hæc, annis quadraginta duobus lætè vivens, cum suam ipse scripsisset historiam, (saltem ad caput usque 13, quod cum ultimo filius ejus prosecutus est, ut Serarius censet) completis ætatis suæ annis centum & duobus, jam moriturus filium, ac nepotes advocavit, & ad omnem est hortatus pietatem, monens, ut sepultis parentibus è Ninive migrent, quo venerant anno 6. Ezechie, cum Salmanassar Rex Assyriorum decem tribus captivas transferret in Assyriam: prædicebat enim eis Niniven, ob iniquitates destruendam, Jerusalem vero restaurandam. itaque Tobias junior post matris obitum ad soceros reversus est, ibique anno vite suæ nonagesimo nono mortuus est, & sepultus, regnante Josia, quando Gyaxares rex Medorum vastavit Niniven.

Con-
ver.

Convertimini itaque peccatores, & facite
 justitiam coram Deo; dicebat Tobias zelo
 fervens gloriae divinae, ac salutis animarum:
 atque in eo stat peccatorum conversio, ut Deum
 praesentem, ac se videntem attendentes, justè o-
 perentur, de vitiis ad virtutes se vertendū, ut
 qui viam errantes inierant oppositam, versa
 facie in iter rectum reversi, jam Deum pers-
 piciant, & ad ipsum ut felicitatis terminum
 securi perveniant.

Credentes quod faciet vobis
 cum misericordiam; quia Deus ad se con-
 vertentes convertitur, nec cor contritum un-
 quam despexit, immò & de se Christus ipse
 testatur, non venisse justos vocare & quæ-
 re, sed peccatores: quibus maxima ingeritur
 peccatoribus fiducia, ne unquam desperent
 attenta suorum enormitate delictorum, uti
 inimicus eos tentat Diabolus; sed Deo firmi-
 ter credant, qui verè penitentibus certam
 benignus promittit indulgentiam.

Consum-

302. Consummati sunt sermones *To bice*; quibus
ex professo Deum laudavit & benedixit, & alios
id ipsum prestare edocuit: quod sincere fuit
gratitudinis debitas non credere se posse dare
gratias, & alios convocare ad eas secum retribuē-
das, hoc que efficaci maximè sermone, quo, non
modo signatas & verbales Dei laudes promovet,
sed practicam mandatorum observantiam, & pec-
catorum sinceram conversionem: in quo gratis
exercuit & amorem Dei propter se, ^{itemque} propter prop-
ter ipsum Deum amorem & proximi. Sepultus
est honorificè in *Nirive*, sive in sui loco exilii,
ubi vel ipsum mori honorificum est, si propter
justitiam exulans moriatur; sed & inde deducendum,
nos in hoc mundo tanquam in exi-
lio vivere & mori, ac perinde parùm sollici-
tis esse debere, ut in natali degemus patria,
cum recte dicat quidam:

Omne solum forli patria est, con piscibus æquor
& ut ait *Thomas Morus* in *Ætopia*: undique ad
superos tantundem est via. In hora autem
mor-

mortis suæ, vocavit ad se Tobiam filium suum, ut postrema ei daret monita paternæ, ut & alii sancti præstiterè Patriarchæ, quod & est magis proficuum filiis testamentum, unde ad animam pascendam colligunt alimenta, & vitæ piæ degendæ accipiunt documenta, vi quorum & temporalis plus prosit hæreditas, & æternorum acquiratur bonorum felicitas.

Prope erit interitus Ninive; prophetat Tobias moribundus, non tamen vi illa naturali, quæ Plato, Cicero, & alii censesunt, animam in morte pluridam pluribus divinandis aptiorem; sed divina prorsus virtute afflatus, absque visis in natura futurorum illorum prognosticis signis: unde à S. Ambrosio Tobias Propheta nuncupatur.

Tobias (junior) abscessit ex Ninive, ejus fugiens excidium, & patris secutus monitum: quod si in naturalibus consultum est vitæ imminentiæ effugere pericula, & ab eorum separari consortio, quorum dominus vel probabilis imminet ruina; quanto consultius erit, animæ singula præcavere.

vere pericula, & sedulo recedere à tabernaculis
peccatorum? ~

& completis annis 99. in timore Dni
cum gaudio sepelierunt eum; gaudio utique spi-
rituali naturalem filiorum maerorem devincente,
cum enim justis mors sit dies solemnitalis, & læ-
titiæ, solis insipientibus descendæ videtur. Tunc
pariter nobis gaudium erit in morte, si in Deo
timore annos nostros expleverimus; Tobie au-
dita pro posse imitemur gesta & virtutes, & ejus-
dem gaudii efficiemur participes ~

Brevem nunc
accipe præfata Historiæ Anaxitæ ~

Tobias senior captivus ductus est in Assyriam
anno suæ ætatis 36. excæcatus est anno suo 56.
visum recuperavit natu annis 66. deinde vi-
xit annos 42: unde obiit natu 102. annis:
quæ omnia Latino textui concordant.

junior
verò Tobias duorum erat annorum. cum capti-
vus cum patre ductus est; iivit in Mediam ubi
Saram duxit natu 23. annis, seu anno 27.
Ezechie, & obiit 99. anno vitæ suæ, qui fuit
josie 16. ita pariter juxta Textum Latinum
nobis ex Tridentino sequendum ~

Capitulum XVII.

Judith

305.

Librum Judith certo canonicum declarant
Concilia, & ultimo Tridentinum, itemque Patres
apud Bellarminum Lib: 1. de verbo Dei. De illius
Auctore nil certi asseverari potest, teste S. Isid:
Lib: 6. Orig: c. 2. Argumentum, est victoria Ju-
dith de Holoferne & Assyriis, quae, an contigerit
ante vel post Captivitatem Babylonicam, dubita-
tur ob validas utrimque rationes, quas exami-
nare, hic non vacat perpetuo adstrictis brevitatis
proposito, ratione etiam, ea unice quae im-
mediatius pro solius Judithae faciunt historiam
hic modo nostro insinuabimus, proinde ab hu-
jus Libri Cap: 8. inchoantes, & quae in preceden-
tibus enarrantur, ubi opus fuerit merè attingen-
tes.

S. I. Judith quae fuerit. Judithae Cap: 8.
vsque ad V. 9.

Textus: Judith vidua, quae erat filia Merari. Fecit sibi
secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa
morabatur. & habens super lumbos suos cilicium,
iunabat. Erat autem elegantis formae nimis, cui vir
suis reliquerat divitias multas. Timebat Dominum
valde.

Herni.

Heroica, sanè, ac nobilis femina, Judith
 proprio nomine dicta, fuit de Tribu Simeon,
 ut ipsa Cap: 9. v. 2. significat, patrem habuit
 Mararam, virum ^{vers} Marassen, quo in diebus
 messis hordaceæ defuncto, in civitate sua Be-
 thulia, ipsa vidua remansit & viduarum
 decus & speculum: ubi ergo, quæ aspectu erat
 elegantissima, consorte orbata se vidit, sibi
 cellam in domûs suæ tabulato constituit se-
 cretum, ubi cum sibi ministrantibus puellis
 honestè latèret: hic nominis sui verificans
 etymon, Deum laudabat ac benedicebat, car-
 nem jejuniis, ac ciliciis domabat, divitias
 quæ sibi à viro relictas nullas in egeno-
 rum remedium insumebat, taliter quæ
 in cunctis se gerebat, ut de illa non esset
 qui malè loqueretur, sed potius omnibus es-
 set admirationi. Talem, vel adhuc abscon-
 ditā, esse decebat, quæ palam demum tot
 mira erat perfectura.

Judith vidua, quæ
 erat filia Merari; in qua viduitatis status
 plu

plurimum commendatur, quod femina & natalibus, & naturae dotibus tam p[ro]p[ri]e praecel-
ra, delicias respuerit, carnis incentiva calca-
verit, & secundo licito coniugio vidualem
continentiam fortiter anteposuerit, viduis
caeteris poculum propinans castitatis

Fecit

sibi secretum cubiculum, &c, ut viros turbas
que visitantium effugeret, & tota Deo vacaret
amans solitudinis & silentii: mirabile mulie-
ribus exemplum! ut juvenum fugiant consor-
tia, erubescant in publico apparere, videri
fugiant, concupisci abhorreant; sibi que in in-
timis cordis sui penetrabilibus cellulam fabri-
cent, ubi solius Christi castissimis frui possint
colloquiis; ut legimus de S. Rosa, Romana,
S. Francisca Romana, aliis que Virginibus
purissimis, ac Viduis honestissimis at modestis-
simis

Habens super lumbos suos cilicium
ut praesidium ad carnem domandam validis-
simum; est enim mortificatio castitatis cus-
tos fidelis; haec enim velut rosa, spinis aspe-
rita-

308 ritatum circumferenda est; & ope doloris sensibilis stimuli voluptatis turpis cum juvenili sanguine ebullientes comprimuntur, ac extinguuntur. ~

Jejunabat; quod aliud est cohibendæ libidinis remedium: unde S. Hieronimus Ep. 9. ad Salvinam dicebat: Tu, quæ in tumulo mariti sepelisti omnes pariter voluptates... nihil habes necesse aliud, quam perseverare in jejunio; & Epist. 10. ad viduam Fliriam: Ardentes diaboli sagittæ jejuniorum & vigiliarum rigore retorquendæ sunt: cæterum vidua, quæ in deliciis est, vivens mortua est, ~

Erat autem elegantia forma nimis; quod tamen, etsi maximum constantis puritatis adversarium, prædictis Judith debellavit armis: attendant virgines, & fœminæ omnes, quæ de speciosa gloriantur formæ, in magno se versari periculo, ni latitare satagant; sed, eheu! quot, & artificialem procurant formositatem, qua tantam incurunt animæ deformitatem? ~

Cui vir suus reli-

liquerat divitias multas, quas ipsa non suis^{309.}
sed pauperum impendebat usibus; ita ut inter
divitias voluntaria premeretur paupertate, inter
epulas esuriret, vestes multas ac pretiosas res-
pueret, & se in vitantia, naturæ, commoda, forti
animo omnia respueret: quod merito vocat du-
rum martirium. S. Bernardus Serm. in festo Om. Ss.
& forte certamen, caelesti triumpho coronandum.

Time-
bat Dominum valde, non servili scilicet, sed fi-
liciali timore, divinum in omnibus quærens bene-
placitum, & à minima ~~abhorrere~~ abhorrens ejus of-
fensa, quem sibi ut patrem contemplantur &
reverebatur, cupiens que eum ab omnibus crea-
turis cognosci, & honorari. His heroicis virtu-
tibus, se Judith in occulto preparabat, ad mira
quæ posthac palam erat peragenda; sui que
ipsius tanta victoria, ad externam disponeba-
tur victoriam celeberrimam in sequentibus
referendam. D

S. II. Judith, divino impulsu preventa,
populi liberationem à se dandam
pronunciat. Cap. 8. à v. 9. & Cap. 9. per totum.

Textus: Hæc itaque cum audisset... & qui vos estis, qui tenta-
tis

tis Dominum? Expectemus humiles consolationem ejus. &
 humiliabit omnes gentes quaecumque insurgunt contra nos. ---
 quod facere disposui, probate si ex Deo est, & orate, ut firmum
 faciat Deus consilium meum = Cap: 8. v. 9. 11. 20. 31. = Judith in-
 gressa est oratorium suum. clamabat ad Dñm. Fac Dñe, ut gla-
 dio proprio ejus superbia ampuetur. Sa mihi in animo cons-
 tantiam, ut contemnam illum, & virtutem ut evertam illum =
 cap: 9. v. 1. 12. 14.

Cum Holofernes missus à Nabuchodonosor Re-
 ge Assyriorum potentissimo cuncta vastaret ne-
 mini parcens, filii Israel eum vehementer time-
 bant, maxime cum, Bethulia circumvallata,
 & omni aqua ductu præciso, jam siti cruciati
 civitatem tradere compelli se videbant, quod
 & fecissent, ni Ozias, qui loco Zorobabel popu-
 lo præerat, suavisset, ut per dies quinque à
 Domino misericordiam expectarent (ut in su-
 perioribus omissis capitibus enarratur): quæ
 ut audivit Judith, superno excitata zelus, exi-
 it in publicum, reprehendit quæ Oziam & Sa-
 cerdotes, quod Dei misericordiam terminum præ-
 sigere fuissent ausi; mox eos est hortata, ut
 patrum exemplo populum ad patientiam ani-
 marent, illis quæ etsi obscure insinuans per se
 populum divina pietate liberandum, addidit
 ut pro se quoque orarent, ut quod habebat in
 animo

animo, Deus daret perficere: illis que dimissis
 & ipsa enixe, & precibus & corporis afflictione,
 Deum in abscondito exoravit pro populi libera-
 tione, ac Holophernis quam meditabatur ever-
 sione

Hæc itaque cum audisset, (vel naturali
 auditione, ex necessario aliquo commercio ex-
 terno; vel potius divina interiori revelatione)
 tangitur Judith ardentissimo zelo cognitam Dei
 injuriam propulsandi, & proximi necessitati-
 bus medendi: Sic non semper expedit, solitudi-
 nem ita colere, ut propriæ tantum intendamus
 animæ salutem; sed ubi apta se offert occasio, senti-
 tur que divina molitio, & terras peragrarè & om-
 nibus prædicare perfectius est, minus que pro-
 priè Apostolorum, quos Christus ad messem con-
 versionis animarum misit in omnem civitatè
 & locum, quo erat ipse venturus. Luc: 10. *Qui*
 estis vos, qui tentatis Dominum? non enim nos-
 trum est nosse tempora, ut Christus suis dice-
 bat Apostolis; sed dum divinam in afflictioni-
 bus imploramus misericordiam, hæc humiliter
 est

312. est prestolanda, juxta Datoris beneplacitum, at-
que interim per patientiam promerenda, ut docet
tur. Ps. 26. Expecta Dñum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dñum. Vide & Judith
in sua exhortatione addidit: Expectemus humiles
(dociles nempe, patientes, & constantes) consolationē
ejus, sic que non iram provocabimus, sed humi-
lis fiducia fructum, illico percipiemus: & humili-
abit omnes gentes, quæcumque insurgunt con-
tra nos,

Quod facere disposui, probate si ex
Deo est; hoc est: quod exequi meditor, attendite,
& videbitis, an Deo dictante fecerim, ad eventum
se referens; non enim suum ipsis declaravit intē-
tum, in particulari, ne ex divulgatione frustra-
retur effectus, ut assolet evenire ex precipita-
ta secretorum revelatione; hinc Eccl. 20. 7. dici-
tur: Homo sapiens tacebit usque ad tempus,

&
orate, ut firmum faciat Deus consilium meum
quia quod homo proponit, Dei est disponere;
nec enim qui plantat, aut rigat, aliquid per-
ficiet, nisi incrementum det Deus: ubi etiam no-
ta

ta, pro causis publicis, ut hic erat populi liberatio, ritè requiri & publicas preces: Quare nunc in ecclesia statuta Litanie, & supplicationes, vel ad impetrandæ Communitati beneficia, vel ad gratias pro receptis agendas

Judith ingressa est oratorium suam, ut Deum in abscondito deprecaretur, atque ut quod intenderat, coram Deo, ipso que consiliario deliberaret: quod in omnibus negotiis, maxime in arduis & gravioribus exequendum sedulo est, ad Dei explorandam voluntatem, Divinumque pro executione impetrandum adiutorium: hoc quæ & constanti oratione, & ferventi: unde additur: Clamabat ad Dñm, & quid clamabat audivimus:

Hæc Dñe, ut gladio proprio ejus superbia amputetur, ubi per gladium proprium, judith suum videtur intelligere, ac per superbiam caput Holophernis tot victoris elatum: sed & proprium superbiæ amputandæ gladium dixeris merito ipsius Judith humilitatem, qua de sua diffidens multæ imbecillitate, hæc ipsa, confidit Deo dante, everendam superbiam, quæ nisi maximo suo contrario

314. *destrui poterat humilitate*

*Da mihi in animo
constantiam, & in quibus *Judith* precibus om-
nibus hoc maxime advertendum venit, quod eas
fuderit cilicio induta, cinere aspersa, & humili-
ter prostrata: quæ tria ad orationis efficaciam
conducunt plurimum, scilicet carnis maceratio,
quæ per cilicium significatur; mortis, aliorum
que memoria *Novissimorum*, quæ cinis præfigu-
rat; denique humilitas, & humiliatio, quæ corpo-
ris indicat prostratio*

S. III. *Judith se sistit Holoferni. Cap: 10. & 11.*

*Textus: Omnibus ornamentis suis (*Judith*) ornavit se. Cui etiam
Dñs contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio
non ex libidine, sed ex virtute pendebat... Occurrerunt ei
exploratores Assyriorum... Duxerunt que illam ad ta-
bernaculum Holofernis... statim captus est in suis oculis
Holofernes = Orabo Deum... & non latrabit vel unus ca-
nis contra te... Si fecerit mihi hoc Deus tuus, erit & Deus
meus. = Cap: 10. 1. 3. 4. 11. 16. 17. = Cap: 11. 1. 15. 21. S*

*Cum *Judith* in cubiculi sui secreto Deum ex-
orasset, superiori impulsu Holofernam adi-
re decernit, quapropter omnia deponit vi-
dualia indumenta, & lucidissimis se vestibus
exornat, sic que, ancilla comite, urbem in-
gressa est: cum ecce ei occurrunt Assyriorum*

Ex-

315.
Exploratores, qui apprehensam illam ad
Holofernem dixerunt; hic causam adventus
& fugæ interrogat, cui illa respondit, se, ut
vitæ consuleret aufugisse, ut que illum sanis
moneret consiliis; in quorum coronidem specio-
sam illi pollicita est victoriam: quibus om-
nibus attentè auditis Holofernes captus est e-
jus pulchritudine ac sermonibus; unde Ju-
dith illius gratiam nacta, facultatem im-
petravit propriis vescendi cibis, noctu suæ
vacandi solitarie orationi, alia que pietatis
sibi solita opera exercendi, singula prudenti
ac sanctæ ordinans castitia, ut incautum
Feliciter devinceret.

Omnibus ornamentis suis
ornavit se, sed ad piæ, & Deo dictante in-
tentum finem, non ut hujus temporis femine,
quæ corpus exornant ut defædent animam,
& suis planiora parant ornamentis precipitia,
verum nec Judith ornatus foret ex toto excusatio-
ne, quin minus laude dignus, ni, ut ait S. Aug.
vel potius Ambrosius, divino spiritu ducta: id
Præs-

Serm: 229.
de Temp:

Cui etiam Dominus contulit splendorem quoniam omnis ista compositio non ex libidine sed ex virtute pendebat, ex zelo scilicet patriam liberandi: unde S. Ambrosius l. de viduis habet: Et bene Judith conjugales pugnatura resumpsit ornatus, quia monumenta conjugii arma sunt castitatis; cui etiam deus splendorem addidit, confirmans susceptum medium ad finem, quem se inspirante illa intendebat.

Occurrerunt ei exploratores Assyriorum. Averte, viam mandatorum ingressis illic occurrere animarum exploratores demones, tentantes eas, vel à bona divertere via, vel saltem, ut tepide incedant, detinere: hos tamen diabolicos irritabimus incursus, si ut Judith, demonem sanctè decipiamus, ac forti constantia gressus nostros ad Dominum semper dirigamus.

Duxerunt que illam ad tabernaculum Holofernis; Nota quoque hic, & tentationis proventum, ut, si ei fortiter resistatur & ipsa ad bonum intentum exequendum perducatur: iustis enim non est tentatio obstaculum, sed potius utilis

lis ad progressum stimulus: unde S. Jacobus cap. 1. suae Epist. Catholicae dixit: Omne gaudium exishimate, cum in tentationes varias incideritis.

Statim cap-

tus est in suis oculis Holofernes: in compositionis illius & ornatibus mala sequela, sed unice ex videntis depravata malitia: ubi, de ornatu sat superque excusata Juditha, lascivus restat unice damnandus Holofernis aspectus: audi Ecclesiasticum Cap. 9. v. 8. Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit, v. 9.

Orabo Deum... & non labrabit vel unus carnis contra te; quibus, non mendacio, sed astuta verborum ambiguitate decepit Judith Holofernem, ut S. Augustinus, alii que passim eam ingeniose excusant, & merito, uti a Deo in his omnibus directam, qui ad malum non inducit vel minimum, ut etiam eveniant bona vel maxima, sed disponens omnia suaviter, persape ad fines suos humanis se mediis, & modis accommodat.

Si fecerit mihi hoc Deus tuus,

tuus, erit & Deus meus, dicebat Holofernes au-
 dita potenti & efficaci Juditha peroratione; sed
 & an id expleturus esset, quod promittebat, jure
 diffidere possumus ex ipso ejus sermone, quo Deum
 tentans signa petit ut convertatur; ut Judaei de
 Christo blasphemantes dicebant: Si filius Dei est, des-
 cendat de cruce, & credimus ei; qui sermonis mo-
 dus, dicente ipsa Judith Cap. 8. ineptus est ad Dei mi-
 sericordiam excitandam, sed potius ad iram ejus
 provocandam.

S. IV. Judith ab Holoferne amatur, &
 honoratur. Cap. 12.

Textus: Tunc jussit eam introire, ubi repositi erant thesauri ejus.
 Nunc non potero manducare ex his, ne veniat super me offen-
 sio... suade Hebraeam illam, ut sponte consentiat habitare
 mecum... quicquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum.
 Dixit ad eam Holofernes: bibe nunc & accumbe in jucunditate.
 & manducavit, & bibit coram ipso.. & jucundus factus est Ho-
 lofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis. N. 1. 2. 10. 14. 17.

Cum ergo ^{19. 20} Judith Holofernis oculis ita pla-
 ceret, tum ob formositatem, tum ob sermonem,
 prudentiam, aliasque dotes, quibus eam Deus
 pro tunc maximè fecerat resplendere, eam il-
 le & contubernalem, & convivam habere per-
 cupiebat; unde & domus suae ditissimum ~~ab~~
 ob-

obtulit receptaculum, & suæ mensæ selectissi-
 mas dapes: quæ tamen omnia Judith civiliter
 recusavit, nolens iis contaminari, nec à solita
 secreta oratione impediri: quæ Holofernes cūc-
 ta permisit, timens ei in aliquo displicere, do-
 nec tandem die quarto vehementiori tactus,
 quæ ardebat, ejus concupiscentia, eam per Eu-
 nuchum suum blandè invitavit, ut secum ea
 nocte convivaretur, et cohabitaret: admisit ipsa
 convivium, simulans & consensum, ad quæcum-
 que voluisset ille, qui & abundè comedit, & a-
 bundantius bibit in suæ commensalis celebri-
 tatem, ita, ut similem nunquam fecerit in po-
 tu intemperantiam.

Tunc jussit eam introire, ubi
 repositi erant thesauri ejus; nihil reservans Holo-
 fernes captus amore Judithæ: sic & mundani sua-
 rum aliàs divitiarum avari detentores, copiosam
 pecuniarum summam, pravis usibus solent lar-
 gè profunderè: quibus pro die judicii imminet ter-
 ribilis illæ Supremi judicis sententia: *ite male-*
dichi in ignem æternum. . esurivi, & non dedistis
mi-

Nunc non potero manducare ex his, ne veniat super me offensio; sive, ne, cum iudaea sim, cibis in lege mihi prohibitis vescens, & scandalo videntes offendam, & Deum inobediencia, ~~mihi~~ mihi reddam infensum: quod & Christianis inter infideles commorantibus, bonis vecum malis permixtis constanter imitandum est, ita ut & fidem profiteri, & virtutem nusquam pudeat sectari.

Suade Hebraeam illam, ut sponte consentiat habitare mecum, dixit Holofernes, Vago eunuchos suo, eunuchorum quippe cubiculariorum ve hoc apud Assyrios & Persas minus erat, teste Plinio, ut dominorum libidini lenocinantes speciosas illis feminas adducerent: o minus nefandum! quod & modo exercent, qui turpitate turpi cooperatione etiam aliorum famulantur peccatis.

Quid quidem autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum si tamen fuerit licitum, subintelligebat Judith, ut si eam vellet in uxorem, Discant hic, qui Regibus astant aut Magnatibus, ne vanae astituti adulationi, vel ignavo pressi timore, hu-
mana

mana placentes Majestati, Divinam offendant;
sit ^{ut} obsequium omne, omnisve amicitia us-
que ad aras precise, hoc est, absque sacre legis
ulla violatione

Bibe nunc & accumbe in iucun-
ditate, ait ad Judith Holofernes, qui, ut illi a-
pulo Isaiam (22. 15) addidisse poterat: Comeda-
mus & bibamus, cras enim moriemur: quanto
satius ad convivium invitatis erit sanum illud
premeditari Sivi Ambrosii dictum: Plurimos
gula sua occidit, nullum frugalitas: innumeris
vina nocuerunt, nulli parsimonia. & si aliqui-
bus cruditas noxia non fuit, his ruinam fecit
ebrietas, *lis. i. de Cain, & Abel. cap. 5.*

*gulosi

& manducavit
& bibit coram ipso, ut utique omnem illi sus-
picionem eximeret, sibi que ex cibo & potu
tanto jejunio exhaustas vires resumeret ad
facinus tam arduum aggrediendum. ita cibo
& potu utendum, ut necessitati subveniatur,
non vero ut libidini & gulae serviatur

juvandus factus est Holofernes ad eam. bi-
bit que vinum multum nimis, ita ut Holo-
fernes

fernes epulis & vino iucundatus ardentiori fe-
rebatur libidinis cupiditate, erga Judith, cuius
tamen ita Deus servavit castitatem, ut ille vi-
no ebrius & sopitus nequidem eam tetigerit:
en quomodo Deus custodit animas sanctorum
suorum, & de manu peccatoris eos liberat, ut
vel in medio ignis non ardeant, qui sponte
pericula non quasierunt & peccati occasio-
nem pravo sine non adierunt.

**S. V. Judith capite truncat Holo-
fernem, & victrix in Bethulia
redit. Cap: 13. & 14.**

Textus. Stetit que Judith ante lectum, orans cum lachrymis,
Apprehendit comam capitis ejus .. & percussit bis cervicem
ejus, & abscondit caput ejus .. & post pusillum exiit, &
tradidit caput Holofernis ancilla sua .. venerunt adpor-
tam civitatis .. & cucurrerunt ad eam omnes .. Dixit
Judith: Laudate Dñm = Hinc Achior. relicto gentilita-
tis ritu credidit Deo ... Principes virtutis Assyriorum sci-
derunt omnes vestimenta sua, & intolerabilis timor & tre-
mor cecidit super eos = Cap: 13. 6. 9. 10. 11. 12. 15. 17. =
Cap: 14. 1. 6. 17.

Completo jam nocte convivio, sola mansit Ju-
dith in cubiculo cum solo Holoferne, sed mul-
ta ebrietate sopito, cuius illa, oratione ad
Deum facta, caput bino ictu abscondit, ipsius met

323.
usa pugione: mox actis breviter Deo gratias,
exiit portans caput abscissum, quod suae tra-
didit ancillae occultandum, & consuetam simi-
lantes nocturnam absentiam, pacifice ad Bete-
liae portas pervenerunt, civibus omnibus in oc-
cursum accurrentibus, victrici plaudentibus, ac
ea suadente Deum laudantibus; jussit autem
Judith Holofernis caput è civitatis muro sus-
pendi, ac Hebraeos primo mane irruere in As-
syrios, qui Holofernis tabernaculum ingressi
ut eum ad pugnam excitarent; ubi eum capi-
te truncum, ac in suo sanguine viderunt vo-
lutatum, & timore consternati, & dolore conhir-
bati dum sibi fugam tentant consulere, ab in-
sequentibus Hebraeis completa caduntur vic-
toria. inter haec Achior ille Dux Ammon (quē
(Judith. cap. 9.) Holofernes morti destinarat, quod Dei
Israel potentiam magnificaret) cognita in Ju-
dith Divina virtute ad judaismum cum suis
conversus est.

Stetit que Judith ante lectum, o-
rans cum lacrymis, ut rem gravissimam, ac in-
auditam aggressura, nec non & periculo plenam.

in

324. in quo edocemur, in periculis ad Deum recurrere, atque pro negotiis omnibus tam inchoandis, quam prosequendis, & perficiendis divinum implorare adiutorium, sine quo nullus potest prosperare successus, nec ullum vitari periculum.

Apprehendit comam capitis ejus, & percussit bis in cervicem ejus; hic addiscamus, in eundam cum vitiis ac demone pugnam, ut dum quasi sopita tantis per a tentatione cessant, tunc in ea irruamus, comam, seu radicem apprehendentes, semel que & iterum in cervicem, seu seu vitiorum in nobis principem fortiter invehamus; & ut Judith Holophernem capite abscisso devicit, sic & demonem, vitiorum devicto fortiori, superabimus: unde & sequitur: *Abscidit capit ejus. & evolvit corpus ejus truncatum, ubi denotatur, capite cessante, pacificum in cætera vitia restare dominium.* & tradidit caput Holofernis ancilla sua. Venerunt ad portas civitatis: lætam ferentes libertatis notitiam populo Dei, cujus inscrutandæ quidem sed admirandæ in his dispositio, quod ~~per~~ mulierem

liorem, à sexu debilem, ad gesta fortia selegerit,
 ut divina fidentes potentie pro propria non des-
 peremus fragilitate

& cucurrerunt ad eam omnes.)
 in gratitudinis ac reverentiae signum suae libera-
 trici occurruri, ab eaque, ut jam suae militiae du-
 ci, bellicas instructiones accepturi: Sic & electos
 à Deo nobis praepositos, & revereri, & humiliter
 audire tenemur, per quos & proficua nobis tra-
 duntur documenta, & monita praebentur ad per-
 fectam animae libertatem conducentia

Dixit Ju-
 dith: laudate Dñm: Vide hic modestiam gra-
 titudinem, constantiam, & pietatem Juidithae,
 quae totum suae fortitudinis decus & victoriae,
 non sibi, sed Deo adscribit, non se, sed Deum pro
 iis laudandum declarans

Tunc Achior, relicto
 gentilitatis ritu, credidit Deo: En & spiritualis
 Juidith victoriae fructus, forsitan & praemium cons-
 tantiae ipsius Achior, cum prius coram Holoferne
 Deum magnificentum praedicaret: ne nos unquam
 Deum confiteri, & laudare erubescamus; & jam ex
 tot capitibus ejus virtute, bonitate, ac caeteris cog-
 nis

326^{is} *attributis, de iniquitate ad iustitiam sincere
convertamur* ~

*Principes virtutis Assyriorum scide-
runt vestimenta sua, præ admiratione, & stupore,
cujus talis scissio tunc efficacius erat signum. &
intolerabilis timor, & tremor cecidit super eos, vi-
dentes fortem sibi ereptum & devictum Ducem:
tanta est omni cætui capitis necessitas, ex cuius
defectu inordinata manet multitudo, factiones
oriuntur oppositæ, variique generis omnis tumultus,
cum desit unus qui cuncta unanimiter re-
gat, moveat, moderetur, ac gubernet* ~

S. VI. *Judith à victoriâ celebratur,
vita suæ residuum sanctè pro-
sequitur, tandem gloriose mo-
ritur. Cap: 15. 16.* ~

Textus. Benedixerunt eam omnes una voce dicentes: Tu
gloria jerusalem, tu læticia israel, tu honorificentia
populi nostri ... Fecisti viriliter, & confortatum est cor
tuum, eo quod castitatem amaveris = Cap: 15. 4. 10. 24.
= Tunc cantavit canticum Dño Judith ... Judith magna
facta est in Bethulia .. erat autem virtuti castitatis adjun-
ta, ita ut non cognosceret virum .. ex quo defunctus est Manas-
ses vir ejus .. Mansit autem in domo viri sui annos 105 ..
Defuncta est ac sepulta .. Luxit que illam omnis populus
diebus 7 .. Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hebra-
is in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur.
Cap: 16. 4. 1. 24. 26. 28. 29. 30 ~

Jobr

Hebraei ergo, devictis Assyriis, eorum cas-
 tra spoliis onusta per dies triginta, diripue-
 runt, atque hoc pacto ditati in Bethuliam
 reversi sunt, Judithae tribuentes pretiosam
 omnem Holofernis suppellectilem, multis eam
 encomiis & laudibus efferentes, ac unanimiter
 liberatricem suam & gloriam acclamantes;
 ipsa vero sic à Pontifice Joacim, populo que u-
 niverso laudata, cuncta sapienter Deo attri-
 buens, canticum illi ob partam victoriam pre-
 cinxit omnibus ei succinentibus, atque in gratia-
 rum actionem holocausta Deo offerentibus.
 Post hæc Judith longævam in castitate, &
 gloria vitam egit in domo sibi à viro re-
 licta, Abram ancillam libertati donavit, ac
 tandem annis, virtutibus, & gloriis referta, o-
 biit nata 105^o annorum, ut verior tenet intel-
 ligentia, sepulta que est cum viro suo; atque
 atque illius mortem universus luctus populus
 per dies septem, ejus vero victoria à Judæis
 anniversaria celebritate constanter recolitur.

Be-
 nedixerunt eam omnes, &c; quod præmiium vel
 ex

328. ex hac vita Deus sibi seruientibus imperitur,
ut qui in operibus suis gloriam non quaerunt
suam, & hic centuplum incipiant recipere, &
in futuro gloriam habeant sempiternam.

Fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod
castitatem amaveris; Castitas igitur causa fuit
fortitudinis Judith, quam Deus puritatis amator
solis tribuere solet ejus virginitatis sectatoribus, ma-
ximè, ubi de luxuria reportandus est triumphus.

Tunc
cantavit canticum Dño Judith, magnificans
Deum, gratias agens, ac varia prophetans, ut
notat A Lapide hic; ubi nos vnicè ad nostram
notamus doctrinam, quod Judith non modò in-
ter laudes, & tot encomia non inflatur, sed cons-
tans ad Deum totam refert gloriam: quod est
mirandum, & pro posse nobis imitandum humi-
litate, & religionis exemplum.

Judith magna
facta est in Bethulia... erat autem virginitas castitas
adjuncta, &c. sed neque magna esset ab operibus
dicenda, ni simul esset castitate donata, sine
qua, teste S. Gregorio, bonum opus nullum est,
aut

aut esse potest; quacumque, etenim (ait S. Hieron:
epist.) virginitate polleas, si cingulo castitatis careas,
omnia per terram trahis;


Mansit in domo viri sui &
qua mansione denotatur constans à mundanis ò-
nibus segregatio, qua, se tanto plausu invitante,
voluit soli Deo suo vacare, qua unice pro commu-
ni bono, ac ipsius Dei gloria in publicum exierat,
cupiens nunc & sibi attentius vivere, & devotionis
operibus mortem praevenire, in exemplum, non
viduarum modo, sed & quorumcumque ^{quae} ad tem-
pus tenentur externis, etsi bonis, ministeriis in-
tendere.

Defuncta est, ac sepulta, meritis plena
apud Deum & homines, cui mors, etsi naturaliter
amara, jucundus fuit ad Deum transitus, à
terrenis miseriis, ad aeternam requiem, à pericu-
lis ad securitatem, & à vita mortali, ad perpe-
tuam felicitate vitam: hoc est mors iustis; pecca-
toribus verò res amarissima, & terribilium om-
nium terribilissimum.

Luxit quae illam omnis po-
pulus diebus septem; & merito luxit, sed immeri-
to à luci cessavit; verum & humana in eo elu-
cet.

cet inconstantia, ne fideant homines in amicis,
 propinquis, aut propriis excellentis: quæ omnia
 ut plurimum corpore sepulto, & in oblivione sepe-
 luntur, nisi, ut hic scripta rememorent & Deo volente
 specialis extet gloriosa recordatio: Ut & Hebræis
 anniversaria permansit hujus tantæ victoriæ ce-
 lebratio, ex illo Textus: Dies autem victoria, &c
 qui dies in Hebræo Calendario assignatur 25^{us}
 mensis noni.

Sed verò prætermittendum non est
 mihi maximum Judithæ elogium, immò ideò in
 fine ut omnium corona collocandum, quòd nem-
 pè gloriosus extiterit Mariæ Virginis typus, ut
 eam Patres & Doctores proponunt, & quidem
 Judith orans in cubiculo, Mariam indicat in
 templo pro humani generis libertate precan-
 tem; illa destinatur a Deo mediatrix pro po-
 pulo; Maria pro toto mundo; Judith inclita
 castitatis amatrix, Maria Virgo & Regina
 virginum; Holofernis illa caput amputa-
 vit, & caput Maria contrivit serpentis; illa
 laudata, canitico Deum laudavit & Maria
 ab Elizabeth beatificata suo Deum Magni-
 fica

331.
sicavit cantico; Judith plures ad Deum conver-
tit, Maria cunctas hæreses interemit; Judith
gloria, lætitia, honorificentia populi; totum
hoc est Maria Ecclesie: hinc cum Sancto Bo-
naventura concludamus: Maria ergo signata
est per illam famosissimi nominis Judith, de qua
scriptum est, quod nec erat, qui de ea loqueretur
verbum malum. 

in Speculo
Cap: 8.

Caput XVIII.

Esther

Argumentum Libri huius, qui Esther nomi-
ne insignitur, variorum attingit historias,
ut propriè tendere videatur ad superborum
demonstrandam humiliationem in Vasthi, &
Aman successibus, & humilium exaltationem
in ipsius Estheris & Mardochei sublimatio-
ne. De Libri Auctore ambigitur, verisimilius
creditur scriptus à Mardocheo & Esther iux-
ta Cap: 9. v. 12. 4, c. 20. 29. In eum scripserunt
Lyra, Hugo Dion. Serarius, Sanchez, & Franc. Fe-
varientius, qui Librorum totum per moralia expli-
cat documenta: nos nostro prosequamur modico.

**S. I. Quae fuerit Esther, & quomodo
in Reginam assumpta. Cap: 1. & 2.**

Textus: Rex Assuerus iussit, ut Regina Vashti intraret ad eum, & illa noluit... Regnum illius altera, quae melior est illa accipiat = Cap: 1. v. 17. 19. = *Esther*, quae altero nomine vocabatur *Esther*... pulchra nimis & decora facie... Istitabat dies, quo Esther filia Abiuel fratris Marдохaei, quam sibi adoptauerat in filiam, deberet intrare ad regem. Quae non quaesivit mulierem cultum... & ad amavit eam rex plusquam omnes... fecitque eam regnare in loco Vashti... Marдохaeus manebat ad ianuam regis... Quidquid enim ille praecipiebat, observabat Esther. = Cap: 2. v. 7. 15. 17. 19. 20.

Assuerus, qui & Artaxerxes magnus dictus, regnabat ab India usque Aethiopiam super 127. provincias. Anno ergo tertio regni sui volens Assuerus gloriae suae divitiis ostentare, in horti sui vestibulum grande parat convivium cunctis principibus, & praefectis suis, in quo exhilaratus Rex, ad se vocari iussit Vashti Reginam, ut ejus laudandam ostenderet convivis pulchritudinem; at cum illa venire noluisset, iratus rex, congresso septem sapientum coetu, horum consilio eam repudiavit, edictumque promulgavit, ut uxores quaeque debitum maritis suis deferrent honorem

rem & obedientiam. Posthæc multas sibi
 fecit adduci virgines speciosas, ex quibus lo-
 co Vasthi uxorem sibi deligeret, inter quas
 erat Edissa, Mardochei consobrina, & mor-
 tuis parentibus, adoptiva filia, iudæa ignota,
 cæteras pulchritudine antecellens: ubi ergo
 suo ordine hæc ad regem intravit eligenda,
 illico ejus oculis ita placuit, ut in reginam
 sibi & uxorem præeligeret, quam ut talem
 coronavit & nuptialibus festis magnifice
 celebravit. Porro Mardocheus ad ostium
 palatii observans, duos eunuchos, regis vi-
 tæ insidiantes, ope Reginae, se semper filiali
 obedientia colentis, prodiit, atque re comper-
 ta, illis suspensis, Mardochei fidelitas an-
 nalibus inscripta est. jam Edissa, ubi regio
 assumpta est throno, Esther, à Persis dicta,
 denique nominatur. D

Rex Assuerus, (nomine
 proprio Darius Hystaspis) jussit, ut regina
 Vasthi intraret ad eum, & illa noluit; id ille
 jubebat, ut uxoris pulchritudinem palam demõs-
 traret.

334. Eraret: vanum utique preceptum; sed ipsa
venire renuens debitam transgressa est marito
reverentiam & obedientiam: ubi enim manifes-
tum non cernitur peccatum inferiori parendum
est, maxime, si ex venientia majus imminet
(ut hic) inconveniens; at vero, culpâ præscissa,
utinam Vasthi exemplum sequerentur hujus
temporis femine, quæ formam suam aliquando
ostentant, immo siccant, cum æterno tam sui,
quàm lascivè videntium exitio ~

Regnum illius
altera, quæ melior est illâ, accipiat; Symbolum
est divinam indignationem incurrentium, qui
prius Dei donis ditati, ac cælesti electione præ-
venti, retrò ad vitia respicientes, Dei regno sicut
indigni, ita ut eorum anima piis affectionibus red-
datur deserta, eorumque munera alter accipiat
juxta Ps: 68 ~

Edissa, quæ altero nomine vocabatur
Esther; primum vocabulum idem sonat Hebra-
is, ac myrtea; Persis secundum Protertrix,
Utrumque convenit objecto per appositè, 1^m
ob ejus pulchritudinem, alias quæ & corporales
& morales excellentias; 2^m propter heroica
illius

x
erat enim
pulchra ni-
mis & decora
facie. x

illius in favorem aliorum gesta: per utrum-
que Esther omnium formosissima, ac cæli &
terre Reginae Mariæ typus aptissime dicitur.

Insta-
bat dies, quo Ester filia, & Ex quibus imprimis
patet, Esther de regali saulis stirpe esse oriun-
dam, cujus erat ejus pater Mardocheus, qui
parentibus orbatum adoptavit in filiam, atque
eam sanctè & piè educavit: quæ educatio ita con-
fert ad vitæ reliquum, recte transigendum, jux-
ta illud: Adolescens juxta viam suam, etiam cum
senuerit, non recedet ab ea. Prov. 22.

Quæ non quesivit
muliebrem cultum, ut aliæ, quæ prius ad regem
intraverant, sed solis sibi, ad assignato virginū
custode Egea eunucho, præscriptis se induit orna-
mentis, nec multis egebat artificiis, quæ naturali
forma ita fuerat decorata: discant puellæ à ves-
tium fastu, unctionibus, vanis quæ abstinere unguē-
tis, atque ex merâ (ubi hæc absque peccato inter-
venerit) iis uti obedientia.

Et adamavit eam
rex plusquam omnes, fecitque eam regnare
in loco vasthi, sibi illico in uxorem copulans
mu-

336. multo accedente consensu, quem in hoc casu,
licite præstitit, etsi infideli, *Esther* fidelis; tum ut
gravissima vitarentur publica incommoda; tum
quia ad id ex Dei instinctu, & dirigente *Mardo-*
chæo impulsæ est: quæ dum concurrunt circum-
stantiæ, plura licent, imò & interdum obligant,
quæ alias licita non essent.

Mardocheus manebat
ad januam regis... quidquid enim ille præcipie-
bat observabat *Esther*, cujus raram demira obe-
dientiam, ex honorata humilitate exortam; at-
que etiam *Mardochei* humilitatem adnota, qui
ex *Estheris* sublimitate nil sibi arrogat, sed ad
fores regias demissus adstat.

S. II. *Mardocheus* propter justitiam ve-
xatus, *Estherem* assumit mediatricem
cap: 3. & 4.

Textus: Rex Assuerus exaltavit Aman... solus *Mardocheus*
non flectebat genu... Missæ sunt (litteræ) ut occiderent atque
deleterent omnes *Judeos* = Cap: 3. v. 1. 2. 13. = Quæ cum audisset
Mardocheus scisit vestimenta sua -- Quod audiens (*Esther*)
consternata est... si nunc silueris, per aliam occasionem libe-
rabuntur *Judei*, & tu & domus patris tui peribitis -- & ego cum
ancillis meis similiter jejunabo, & tunc ingrediar ad regem
Cap: 4. v. 3. 4. 14. 16.

Volens Assuerus Amanum alias sibi dilectum
palam exaltari, jussit ut omnes eum adorarent,
ut

ut Persis mos est Reges honorare; solus id exequi
 renuit Mardocheus Deo soli adorationem debere
 profitens: quod ut cognovit Aman, non modo in
 Mardocheum, sed & in iudæos omnes invehit, impe-
 trans à rege edictum ut omnes delerentur iudæi,
 statò que die occiderentur: hæc rescians Mardoche-
 us contristatus est vehementer, quòd sui causâ tot
 essent passuri; quare Estherem adit, iam iniqui cons-
 ciam decreti, rogat que ut regem placare conetur;
 ipsa verò, quæ hucusque ex ipsius Mardochei con-
 silio, se iudæam esse celaverat, & sibi mortem immi-
 nere prævidebat, si iudæorum defendendam causâ
 susciperet, immo & si non vocata ad regem intraret;
 verùm Mardochei rationibus permota, ipsi ora-
 tionem pro successu indicit, se que ad regem intra-
 turam post similia pietatis exercitia promittit
 se tanto pro cæteris periculo ^{sumis} exponitur.

Rex Assue-

rus exaltavit Aman, qui erat Amalicitæ &
 regiæ styrris, ut tradunt aliqui, verùm & homo su-
 perbus & honorum maximè appetens: hos mun-
 dus exaltat ad tempus, etiam indebitos deferens
 honores, vel ob vanum potentiæ timorem, vel

ob vanæ quoque spei expectationem, in quo utique vanitas est maxima, ac legis divinæ detestanda postpositio ~

Solus Mardocheus non flectebat genu, timebat enim, ut ipse profetur, *cap. 13. v. 14.*, Dei sui honorem transferte ad hominem: laudandus profecto, qui nec regiam timuit potentiam, nec molli potuit adulatione devinci, ut à justitia discederet, cum hisce temporibus tot sint, qui Deo displicere non metunt, et ut hominum favores conservent, iram incurrunnt divinam ~

ut occiderent atque delerent omnes judioeos, impetravit ex ambitione iratus Aman, volens, quam credebatur à Mardocheo sibi factam injuriam in omnes sectæ ejusdem vindicari: o perniciose honoris ambitio! qua vel ipsius naturæ leges transverhuntur, ^{ab iis} qui tam avidè mundanam sibi gloriam appetunt? ~

Mardocheus scidit vestimenta sua, non rectè facti pœnitens, sed innocentibus condolens, quæ etiam prævisa sequela non poterat licite iniquo illi parere decreto, ut aliqui contendunt; adoratio eni

enim illa præcepta erat Amanni, ut Dei, quã non
 non merè simulasset Mardocheus religionem suã,
 sed actu publico externo negasset, aliis que iudæis
 gravè scandalum præbitisset. Quod pro vitanda
 etiam mundi totius destructione non licet.

Quid
 audiens (Ester) consternata est, tum ob Mardochei
 sui afflictionem, tum propter ipsius populi decre-
 tam destructionem, maximè verò ob Amanni im-
 pietatem, & regis in consentiendo obcæcationem:
 hæc enim piã corda offendunt, & eo plus contris-
 tant, quo difficilius apparet remedium.

Si nunc
 silueris, &c. illam adhortatur Mardocheus, ut,
 vitæ propriæ despechis periculis, populo provide-
 at, immo & majus minatur, si tacuerit, exitium:
 uti enim ex ipsius Mardochei suasu hucusque
 Ester religionem suam simulavit, jam ex ejusdem
 consilio tempus loquendi instat, cui, ut reginæ,
 competebat pro toto suæ sectæ populo vitam
 ponere, si opus esset.

& ego cum ancillis meis si-
 militer jejunabo, & tunc ingrediar ad regem,
 & orationes postulat Ester, & se idem facturam
 sanc-

sanctè pollicetur, ut periculo plenum aggredia-
tur opus: per quod & commendatur ad Deum
recursus in periculis, & illorum arguitur incu-
ria, qui ut gratiam aliquam à Deo impetrent, a-
liorum ita exigunt suffragia, ut per se nulla ad-
hibeant ~~per se~~ impetrandi media.

**S. III. Esther felici successu ad Assuerū
ingressā, Mardocheus exaltatur.**
cap. 5. & 6.

Textus: Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis,
& stetit in abris domus regia. Cum quæ vidisset Esther re-
ginam stantem placuit oculis ejus. Nihil me habere puto,
quamdū videro Mardocheum. jussit excelsam parari cru-
cem. Cap. 4. v. 1. 2. 13. 14. = Hac ut locutus es Mardocheo -
cave, ne quidquam de his quæ locutus es prætermittas. Esph.
v. 20.

Postquam Esther Deum orasset, & jejunasset
sacco induta, die tandem tertio regali ornata
cultu, anxia quæ ad regem ingressa est, ac a-
manter suscepta petiit, ut ipse, & Aman ad
suum venirent convivium, in quo ab exhi-
rato rege de sua petitione seu quidnam pos-
tularet interrogata, & ampla oblatione præve-
ta, rursus utrumque ad sequentis diei convi-
vium invitavit. Egressus autem è convivio
Aman, vidit Mardocheum solito ad fores pa-
latti

341.
latii sedentem sibi non assurgere, nec ullum
sibi honorem exhibere, quod cum ingratis ad-
modum tulisset, patibulum paravit excelsum,
in quo eum postmodum de regis consensu suspen-
deret: sed verò noctem illam rex ducens insom-
nem, regni sui annales sibi legi imperat, ubi
cum Mardochei descriptam reperisset fidelita-
tem in detectis quondam Eunuchorum insidiis,
jussit eum manè per ipsum Aman honorari
ut hic interrogatus dixerat honorandum quem
vellet rex honorare; sic que qui se exaltandum
putaverat, compulsus est Mardocheum ad eò
sibi invisum per urbis plateas equo regio ve-
here, regis que indutum vestibus, ac decoratum
insignibus ^{clavore} ~~proprie~~ honorandum.

Die autè
tertio induta est Esther regalibus vestimentis,
& stetit in atrio domus regis: mediis utitur ad
gratiam impetrandam aphissimis, dum se delec-
tabili præbet specie, & humili prætatem alluit
demissione, non illicò intimum regis cubiculum
ingressa: sic ad Deum orantes oportet primùm
animam vestire virtutibus, divitiam que humi-
litate

litate gratiam suaviter attrahere

Cum que vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis eius quia vidit adeo speciosam, & humili statione se sistentem; primo quidem intuitu (iuxta Cap: 15) iratus eam intuitus est oculis, ut quin vocaretur ingressam. Ita Deus etsi peccatis ad iram provocatus, quovis tamen die ad se humiliter pro venia accedentes, quasi praeferitorum oblitus, non modo absolvit, sed & caelestis dicit pignore hereditatis.

Nihil me habere puto, quamdiu video Mardocheum, &c. Ambitiosis & invidis nihil prosunt caetera, sola eos potest satiare aut vindictae, aut honoris adeptio; sed quae sahetas, ubi concupiscentia prava, nunquam dicit: Sufficit, sed se foventium corda non sinit quiescere: & tamen, Ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places? exclamat S. Bernardus. L. 1. de Consid.

Jussit excelsam parari crucem, Mardocheo utique in crastinum delendo, odioque in eum, pro nihilo consummando; sed

sed verò, ò fallax deceptrix que superbia: qua
 hosti parabat ignominiosam machinam, illo
 ipse exaltato ignominiosè subivit, ut §. seq. vi-
 debimus, verificans dictum Eccl. 27. & 29. Qui la-
 queum alii ponit, peribit in illo, ¶

¶ Fac, ut locutus
 es, Mardocheus: hanc à mundo ipso recipiunt
 penam aphissimam elati & superbi; ut quos
 sibi deberi credebant honores, a se despectis cogan-
 tur deferre, Deo porrò id benignè disponente,
 ut discant homines non altum sapere, neminè
 despiciere, miseris compati; immò sibi vilescere,
 & alios honorare ¶

¶ Cave, nè quidquam de his, quæ
 locutus es, prætermittas: quàm subita rerum
 immutatio, quæ Mardocheus neci destinatus mox
 regis exaltatur honoribus; Aman regia, elatus
 gratia, ab ipso rege, in tantum deprimitur: hinc
 mundi apparet volubilis inconstantia, qua
 homines velut rota adurentes volubanti, jam
 in altum eriguntur, jam ad ima, capite inver-
 so declinantes everuntur ¶

§.

S. IV. Aman cruci suspenditur, Esther
 judaeorum libertati consulit. Cap: 7. & 8.

Textus: Dona mihi animum meam, pro qua rogo, & populum meum
 pro quo obsecro... Pessimus iste Aman... reperit Aman su-
 per lectum... En lignum, quod paraverat Mardocheus...
 Appendite eum in eo = Cap: 7. A. 3. 6. 8. 9. = Fuit que
 rex annulum, quem ab Aman recipi jusserat, & tradidit Mar-
 docheo... obsecro, ut novis litteris epistolae veteres Aman lita-
 ra corrigantur... Scribite ergo judaeis sicut vobis placet regis
 nomine... judaeis autem nova lux oriri visa est. = Cap: 8. A. 2.
 s. p. 16.

Factum est iterum in convivio, ut Rex Assue-
 rus vino exhilaratus reginae petitiones benigne
 auscultaret; ipsa ergo sibi, & judaeis vitam pos-
 tulat, presentem Amanum graviter incusans
 intentata crudelitatis in ipsum Regem redun-
 dantis, qui de loco exivit indignatus, sed & redies
 & Amanum ipsum interim reginae patrocinium
 secretius implorantem inveniens, infremuit, re-
 galis thori etiam suspicatus attentatorem, jussit
 que in ipso, quod ille Mardocheo paraverat,
 patibulo suspendi; quo peracto, in Amanii dig-
 nitatem omnem successit Mardocheus: unde
 & Esther a rege flagitat & impetrat, ut Ama-
 ni litterae de judaeis delendis revocentur, & no-
 va in ipsorum favorem ad provincias mittan-
 tur

tur, uti de facto missæ sunt, & acceptæ ingen-^{345.}
ti judæorum lætitiæ, & apud alios honore, & ter-
rore.

Dona mihi animam meam pro qua rogo,
& populum meum, &c. in perfectæ charitatis exē-
plum Esther, non sibi modo, sed & populo toti
sollicite consulit; quia, etiam in spiritualibus cu-
ris, ea Deo gratior est, quā non propriam solū
salutem quærimus, sed & proximorum quo-
que salutē impensè intendimus.

Pessimus iste
Aman, protulit Esther, fortissima ipso Aman-
no præsentē, cujus insolentiam non metuens, in
veritatis defensionem atque innocentium libera-
tionem palam locuta est, justæ cupida vindic-
tæ: quæ magnanimitas regum consulibus imi-
tanda proponitur, ut audacter dolē detegant,
innocentium causam defendant, nocentes, etiam
potentes, audacter accusent, justitiæ in omnibus
defensores.

Reperit Aman super lectum, ut
supplex ad genua Esther provolutus ab ea pos-
tularēt vitam sibi donari; sed verò perversis
omnia cooperantur in malum, quia sinis-
træ


346
tra suorum actuum interpretationi per mala
antecedentia praeberunt fundamentum: hinc
Assuetus praevie in Aman iratus, novo hic sus-
picato delicto efficacius in eum invehit



En
lignum, quod paraverat Mardocheus, dixit
eunuchus regi offenso adulans; uti pluries
accidere videmus in Palatiis ac Tribubali-
bus, dum accusatores non tam justitiae inten-
dunt executionem temperare, ut pietas exigebat,
quam crudeles poenarum excessus ab irato prin-
cipe primo motu excogitatos accrescere; & gla-
dium, furenti praebere, & igni ardenti materiam
copulare, effreni habenas laxare

Appendite
eum in eo, ut de facto appensus est in porta
urbis Susorum, quo de domo Amanni trans-
latum fuerat patibulum, altum 50. cubitorum,
in quo fieret omnibus ignominia conspicuus,
qui altissima petierat superbus: in quibus & Dei
perspicitur ^{timenda} justitia; & mundi cavenda propo-
nuntur fallacia

Tulit que rex annulum, &
post superbi depressionem, humilis adverte
erat

exaltationem: ecce Mardocheus ab Amanno ^{347.}
despectus in ejus locum honorificè statuitur, & se-
cundus à rege efficitur: sic que Deo disponente
vel in hoc seculo verificatur, quod qui se exaltat ^{Luc: 14.}
humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur; item
Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles ^{Luc: 1.}

Obse-
cro, ut novis epistolis, & Esther hic apud Assue-
rum pro judæis mediatrix, peroptimè figura-
bat Virginem ^{Mariam} apud Deum pro peccatoribus ad-
vocatam; & si rex ille ad eam benignè Estheris pe-
titiones exaudivit, quid Marite denegabit rex
regum? quid tot dilecta titulis à Deo non im-
petrabit? quis tantam non interponet media-
tricem? 

Scribite ergo judæis sicut vobis placet,
regis nomine, Dixit Assuerus ad Esther & Mar-
docheum, suorum statuens arbitros decretorum:
hos omnes agnosce fructus orationum ac jeju-
niorum ipsius Esther & Mardochei dum tribu-
larentur, tunc enim maximè exaudit Dominus,
qui respicit ad humilium deprecationes, quos uti-
que ad tempus tribulatione probatos erigit, & col-
locat cum principibus  Ps. 112.  ju-

Judæis autem nova lux oriri visa est, au-
dita sui liberatione; nova que lux illa de veri-
tatis cognitione intelligi potest, quâ insperate
salutis acceptâ notitiâ Deo adscribentes, aliis i-
tâ illuxerunt, ut multi ad judæismum verumq;
Dei cultum converterentur, moti simul ab exper-
ta jam Estheris et Mardochei sanctitate, ac
religione.

S. V. Judæorum victoria, & Somnium
Mardochei Cap: 9. 10. & 11.

Textus: Judæi superiores esse ceperunt, & se de adversariis vindica-
re... quos cum occidissent prædas tangere noluerunt... Obser-
vantes dies sortium = Cap: 9. v. 1. 10. 31. = Dixit que Mardoche-
us: Recordatus sum somnii quod videram. Parvus sum qui cre-
vit in fluitum. Esther est... Duo autem dracones ego sum,
& Aman. Recordatus est Dñs hereditatis sue = Cap: 10.
v. 4. 5. 6. 7. 12. = Lux, & sol ortus est, & humiles exaltati
sunt, & devoraverunt inelytos. = Cap: 11. v. 11.

Judæi ergo litteris illis retractatoris per-
lati, ac potestate accepta, ut die 13. Februa-
rii, eâdem, quâ neci erant destinati, ipsi vi-
ce versa suos omnes occiderent hostes, & ad-
versarios; eo ipso die, decem Amani filios sus-
penderunt, passim que adusque 75. hominû
millia trucidarunt. Mox constituit Mardo-
cheus diem Phurim, seu festum sortium, an-
nua-

349.
nuatim deinceps à Judæis gaudia, atque con-
viviis celebrandum. Totam hanc hujus Li-
bri Historiam Mardocheus per somnium,
obscurius prænoverat, quod secretum habuit,
usque dum Amano suspensio ejus intelligeret
significationem, quam hic Capite 10. & 11. de-
clarat.

Judæi superiores esse ceperunt, &
seu victores, Deo favente piis Esther & Mar-
dochæi orationibus, & piis placationis exercitiis.
sic enim Deus quos amat castigat, & mortificat,
ut ad se ferventius accedentes copiosius etiam
consoletur, & vivificet. ~~Tantari~~ permittit ad pro-
bationem, sed vim resistendi conferens conferens,
facit perseverantes cunctis hostibus fortiores, & in
acriori pugna victores.

Quos cum occidissent præ-
das tangere noluerunt, vite suæ incolumitatem
unicè quærentes: quod utinam Christiani milites
imitarentur, qui videntur inimicos, potius spe
prædæ interficere, quam justæ intentione vindic-
tæ, dum in obsidionibus cuncta spoliantes, nec
viduis parcunt, nec pupillis, nec aliis imbellibus,
aut innocentibus.

Obser-

Observantes dies Sortium, à sortibus illis sic dictus, quas Aman consuluerat pro sortiendis die deletionis judæorum, qui tamen die ipsisimo victores evaserunt: hunc ~~ibidem~~ ^{ibidem} diem, & sui memores periculi observant, & pro liberatione grati; sicut ergo præteritarum Judæi festum habent sortium, sic & futurarum timidi memoriam refricemus nostrarum in extremi judicii die decidendarum sortium, quas tamen humiles cum Propheta relinquamus in manibus Dñi, sperantes præsentem adversam sortem in felicem eo die commutandam.

Dixit que Mardocheus: recordatus sum somni, & ubi recordatus, pro intelligentia ponitur, quia hucusque somni significationem aperte non intellexerat, donec effectus ~~effectus~~ ^{effectus} ~~effectus~~ cognovit per illud sibi prænunciatam Amani depressionem & sui ac Estheris exaltationem: Discite, somniis, & putatis revelationibus cautè & humiliter uti, nec similibus fidem ullam adhibeas, nisi certo, & non casuali evõtu, aut similibus judicio prudentum indicis, à Deo immissa meritò credi possit.

Parvus fons, qui crevit in fluvium.. Esther est, Mariam Virginem præsignans, cujus singularis continentie puritas in

351.
candorem lucis aeternae conversa est; atque
in sanctae Annae utero ut fons parvulus absco-
dita, in gloriae fluvium exundantem crevit,
cum ipsa Dei filium concepit: unde sic ha-
bet Damascenus Orat. de Nativ. Virg. Fons e-
rat perennis veri luminis; statim tamen in
fluvium conversa est lucidissimum, qui orbem
ambiens, sua luce terram fecundabat.

Suo au-
tem dracones, ego sum, & Aman; quia ut Cap. II.
dicitur, vidit eos paratos contra se invicem ad
praelium, quo Marchochous significari intellexit
suam cum Amano affectuum collucationem, qua
superbus contra humilem iniuste invehens, tan-
dem supplantatus est. Sic quoque nostram adver-
tamus continuam spirituales pugnam, qua caro
adversus spiritum concupiscens mortificanda, &
contrariis proponitur virtutibus devincenda.

Recor-
datus est Dominus hereditatis suae, seu populi Is-
raelitici, signa & portenta faciens in iudeorum
gratiam: sic hodie Christiani populi Deus spe-
cialis protector, tot per sacramenta confert no-
bis gratiarum dona; quibus, ni abutamur, &
eter-

552. aeternae ^{suae} hereditatis tribuet esse partici-
pes. Lux, & sol ortus est; & humiles exaltati sunt
& devoraverunt inclytos; verba sunt iterum vi-
sionis Mardochei, quae per solis lucem Esther
figura Deiparae significatur; ut supra notavimus.
& in reliquis verbis ipsius Mardochei exaltatio,
Amanique & suorum destructio praesignabatur:
quae omnia, ut initio praemonuimus, superborum
memorant confusionem, & humilium remuneratio-
nem, tam aeternam, quam temporalem.

S. VI. Historiae complementum

Textus: Sicut constituerant Mardocheus & Esther, & illi ob-
servanda susceperunt à se, & à semine suo jejunia
& clamores, & sortium dies, & omnia quae libri hujus,
qui vocatur Esther, historia continentur = Cap: 9. v. 31.
32. = Mardocheus Judaici generis secundus à Rege As-
suero, & magnus apud Judaeos. quae res bona populo
suo. Dixit que Mardocheus: à Deo facta sunt ista.
c. 10. v. 3. 4.

Gressu tantisper retrogrado incedentes nostram
his textibus historiam perficere ~~vixit~~ decrevi-
mus, qui in reliquis libri hujus capitibus, etsi
ordine locali finalibus, nullum ipsi historiae ag-
noscimus aut additamentum, aut complementum.
Itaque Judaei in posterum liberè ritus suos sub
As-

Assuero observarunt, dirigentibus Esther & ^{353.}
Mardocho, qui, Josepho teste, rara prudentia
ac vigilantia pro Rege non absente modo, sed
& presente, gubernabat imperium. De Mardo
choi, aut Estheris obitu nil tradunt sacrae lit-
terae, nec Auctorem reperio, qui de hoc certum
quid statuatur; Cornelius à Lapide computat
Mardocho annos vitae 83; Adrichomius ex
Philone protrahit ad 198. Schaliger ad ducentos:
quos omnes hic refutat idem Cornelius. His-
toria ista conligit circa annum mundi 3498.
ante Christum 569. ut tenet Royanmont in
sua Synopsi sacrae Historiae gallicè scripta.
In Librum Esther nominatim scripsere Hugo,
Serarius, Sanchez, & Franc. Fevardentius, qui
totum ad moralia dirigit documenta

Sicut
constituerant Mardochoeus & Esther, ob con-
tinuam religionis observantiam jurè direc-
tores populi hebraici deputati hic à Deo:
expedit enim populis plurimum suos habere
pro moribus rectores, rituum declaratores, &
per-

354. perfecta observantia exactores, iuxta quorum
sensum & regimen, ut hic, multitudo operetur
exactè que in his cunctis pareat.

& illi obser-
vanda susceperunt à se, & semine suo &
sic & in Ecclesia pia, ac sancta traditiones
ab Apostolis ad nos dimanatae constanter om-
nino servandae sunt, ac retinendae; cavendum
que à Novatoribus, qui ficta pietate novos in-
ducere conantur ritus ac caeremonias, quibus ab
illis, magno Christiani populi domino, discrepa-
tur.

Mardocheus Judaici generis secundus à re-
ge, regis quasi vicarius, seu vices gerens: in
quo statu eum relinquit praesens Historia,
quae, ut pluries innuimus, ad humilium exaltatio-
nem praesignandam tendit, ac depositionem su-
perborum: Magnus jam extat Mardocheus
cum de Amanno vel nulla, vel delestanda solum
persistit memoria.

Quaerens bona populo suo,
id est, quae ad commoda, prosperitatem que
per-

tinerent judæorum: hoc enim charitatis est, propriis non studere commodis, sed alienis maxime sibi commissorum: hinc juxta Apostolum charitas non quaerit, quae sua sunt, sed omnia sustinet, in se patiens, in alios benigna, & ipse Christus docet, ut bonus pastor propriam pro ovibus ponat animam

Dixit que Marochæus:

à Deo facta sunt ista, quasi reflectens super præhabito de omnibus somnio, ubi Divinam proponit, & laudandam, & admirandam in hac Historia dispositionem, Dei in se beneficiis gratias, cujus sicut & Escheris alia præclare gesta omisit hic Scriptura, remittens ad Medorum ac Persarum annales: utrumque sepultum tenet Benjamin (in suo Itinerario) in Hamdamagna, Medorum civitate primaria: utrumque nos (quidquid sit de cæteris) & humilitate & pietate imitemur, & pro omnibus Deum laudemus, in omnibus benedicamus: quod præcipue in horum decursu intendimus.



Ca-

Caput XIX.

Job

Iam verum aggredimur specularandum patientiæ symbolum Job, cujus verissimam & hoc canonico Libro Scripturæ contentam historiã ipse met, Deo dictante, descripsit, lingua Syriacã, ubi pro materiã admirandã Dei super suis creaturis providentiã primariò assumpsit, proprias præcisè ad finem hunc laudes referens, vera Christi patientis figura, sustinentiæ exemplar, ac peroptima penitentiæ norma: quarum omnium fructus virtutum utinam, & nobis, & aliis eruere nunc contemplando valeamus! ~

S. I. Jobi Patria, parentes, nomen, ævum, & prosperitas. - Cap: I. v. 1. ad 6.

Textus: Vir erat in terra Hus nomine Job. rectus ac timens Deum. Habique sunt ei septem filii, & tres filiæ. Eratque possessio ejus septem millia ovium &c. ac familia multa nimis. eratque vir ille magnus inter omnes orientales. consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Sic faciebat Job cunctis diebus. ~
 Job probabilis ex Bosra Idumææ oriundus,
 mox

mox terra *Mus* habitator, patrem habuit Jo-
 bab zara, filium *Raphaels*, nepotem *Esau*; e-
 jus vero mater dicebatur *Bosora*, ut habent
 septuaginta. Nomen *Job* arumnis ac dolori-
 bus congruens, à *Propheta* prædictum censet *S.*
Gregorius, *Didymo* est nomen patientiæ, *Cypria-*
no sonat idem ac *Charissimus Dei*, *Chrysosto-*
mo, *Hieronymo*, & aliis significat *Dolens*, *ge-*
mens, aut *ululans*. Putant non pauci cum *O-*
rigene, *Jobum* vixisse temporibus *Patriarcha-*
rum, & *Moyſis*, alii posterioribus ad exitum
israel de *Agypto*, ita ut nil certi circa hæc sit
 reperire, multi itidem *Regem* vocant, ac *Sacer-*
dotem: quibus præmissis, ac permissis, dicimus
Jobo ut primogenito paternam suo tempore
 obligisse amplissimam hereditatem, nupsit,
 si *Philoni* credimus, *Dina* *Jacobi* filia, sep-
 tuaginta dicunt, cuidam *Arabissæ*: hoc cer-
 tum, genuisse filios septem, ac tres filias, quos
 omnes in *Dei* timore educavit, à *Deo* ipsis per
 sacrificia quotidiana impetrans sanctitatem,
 pingui bene usus possessione, subditis omnibus
 pie

358. pietate non minus, quam potentia commē-
dalissimus

Vir erat in terra. Huius nomine Job,
Vir græcis imbecillitatem sonat; Hebræis por-
ro ac latinis, fortem significat; sed & utramque
accomodare versionem possumus, si, ut effectus
probavit, Jobum in imbecillitate fortem dixerim,
qui in doloribus ac tentationibus corpus ex-
tenuantibus, animo semper fortitudinem expres-
sit.

Rectus, ac timens Deum, ubi rectitudo
pro equitate sumitur, juxta Salomonis consi-
lium Prov. 4. Dirige semitas pedibus tuis. Ne de-
clines ad dexteram, neque ad sinistram; unde &
Dñi Præcursor intonat: Parate vias Dñi, rectas fa-
cite semitas ejus, Marci. 1. Deum timens, seu timora-
tus, pro legis observatore intelligitur; hinc Ps. 2. ju-
bemur servire Deo in timore, & tremore; unde
& provenit recessus à malo, & omnimoda sapien-
tiæ studium, cuius necessarium est timor ille prin-
cipium. Nati que sunt ei septem filii, & tres fi-
lie, in pietatis premium illi à Deo concessi, jux-
ta

ta illud Ps: 126. *Filii, merces, fructus ventris*; multiplex enim ex filiorum bonitate consurgit parentibus utilitas ab honore, obsequiis, & ministeriis, quæ illis, ut tenentur, præstant; sic utique filii Job pietatem à patre edocti constanter coluerunt, usque ad mortem illam, quæ eis repentina utique fuit (ex v. 19. hic) non tamen improvisa; ex mente Orig: Greg: Anastasii Nicensi, &

Erat que possessio ejus, &c ubi sola commemorat pecora, non quod auro, aliis que divitiis caruerit, ut tenent aliqui, sed verius, quod planè contempserit, & minime se illius cupiditati tradiderit, ex illo Ps: 61. *Divitiæ, si affluent, nolite cor apponere*; unde unice eas refert possessiones (ut notat S. Chrysost:) quæ ad vitæ necessitatem proximis conferunt, cæteris faciliè omissis, quæ ad hæc consequi inferuntur, quæque enumerari vix sine arrogantiâ ab ipso possessore valent.

Ac familia multa nimis, numerosum nempe famulatum, tum pro agris colendis, tum pascentis pecoribus, tum etiam pro domestico famulatu, qui regem deceret opulentissimum: quibus tamen Job mira præerat pietate, mansuetudine, ac di-

Erat que vir ille magnus inter omnes orientales, magnus nobilitate, divitiis, honore, fama, sed imprimis pietate ac sapientia, ut omnes superaret orientales, qui tunc Armeniam, Arabiam, Mesopotamiam, alias que conterminas colebant provincias: ubi & inter tot virtuti obsistentia, jure miraberis Jobi sanctitatem.

Con-surgens que diluculo offerebat holocausta pro singulis, ne forte sui in aliquo peccaverint filii. Hic laudanda imitandam religionem, & filiorum curam, nec non & vigilantiam matrisinam, cui Deus coronam promisit, ut canit Ecclesia in Adventu: id que Job prestabat cunctis diebus, ut addit textus, in orando et enim, Deum ve placando constantia exigitur, quia pramium perseverantibus promittitur, & qui negligenter opera Dñi exequitur terribili maledictione inuritur. Jer: 48. 10.

J. II. Jobi ærumna multiplex . ad Cap: 4. exl:

Textus : Dixit ergo Dñs ad Satan: ecce universa que habet (Job) in manu tua sunt. & irruerunt Sabai, tulerunt que omnia & pueros percusserunt gladio: ignis Dei cecidit e calochaldae fecerunt tres ^{burgas} tuffas, Tunc surrexit Job. & dixit: Sicut Dño placuit, ita factum est. Sit nomen Dni benedictum.

Cap: 1.

N. 12-15. 10.

17. 20. 27.

Egressus igitur Satan à facie Dñi percussit Job ulcere pessimo. 361.
Dixit autem illi uxor sua: adhuc tu permanes in simplicitate tua?
Qui ait ad illam: quasi una de stultis mulieribus locuta es. Cap. 2.
N. 7. 9. 10. 7 Post hæc aperuit Job os suum, & maledixit diei suo.
Cap. 3. N. 1. 9

Tantam in prosperitate Jobi conjunctam virtutem sustinere non valens Satan, oblenta à Deo ipsum vexandi facultate, tum per Sabæorum, & Chaldaeorum, in eum irruptionem, tum cœlitis misso igne, omnes oves, boves, asinas, camelos, & servos Job perdidit. Deinde valido vëtorum impetu septem filios, & tres filias ejus, ruina domus oppressit; ac postremo ipsum Job à vertice ad plantam usque, pessimo ulcere percussit, ita ut, carens domo, carens & foco, nudus sederet in sterquilinio, ac testa saniem raderet, cū & in his constanter Deum benedicenti, & hæc accessit tribulatio, quod à propria uxore insultaretur, quam insipientia redargutam docuit, adversa æque ac prospera de manu Dei resignanter acceptanda: mox ipse lamentari cepit ærumnas, & tribulationes suas, præ doloris magnitudine partisque sensitivæ permittens affectus; nullo tamen concessio

cesso impatientia loco, sed in superiori homine
 constanter firmus existit, ut iuste eum excusant
 et à calumniis aliorum vindicant, tam greci
 Patres, quam latini apud Pinedam, hic

Dixit
 ergo Dñus ad satan: qui proæ sua in homines
 invidia Jobi perspectam tentare, ac delere cupie-
 bat sanctitatem, ideo que ad eum omnimodis vexan-
 dum divinam precatur licentiam: ubi claret,
 non nisi Deo permittente Diabolum in homines
 invehere, ac tanquam divina potestate ligatum
 canem rabidum, labrare quidem posse, sed nulla-
 tenus mordere, nisi nolentes ab eo distare

Ecce
 universa, quæ habet in manu tua sunt: En per-
 missio divina ad Jobi probationem, inde Deo
 maximè accepti, ex Tob: 12-13. verum quia Deus
 non ultra nos tentari permittit, quam quod pos-
 simus sustinere, excepit ipsam Jobi personam di-
 cens: *Tantum in eum ne extendas manum, do-
 nec huius 2^æ tribulationis sufferentiã fortior reo-
 deretur ad 2^{am} in ipsa illius persona permittē-
 dam cap: 2*

& irruerunt Sabæi, tulerant que omnia, & irruerunt, id est, lapsi sunt, præcipites ruerunt in prædam more hostili, vastantes & auferentes pecora omnia, nec pueris, seu servis & agricolis job parcentes, juxta Dei licentiam, cujus cum sint omnia, de singulis prout vult disponit, raptoribus surta permittens, ne diuitum corda nimium possessionibus adhareant.

Ignis Dei cecidit de celo, puta fulgur, vel alius in aere ignis à damone ex illa licentiâ excitatus, quo breuius bona jobi perderent. hinc discite, persæpe à Dæmonibus ex Dei permisso aeræas excitari, sicut & aqueas tempestates, ut si forte harum nimio timore percussi homines à b animi serenitate tantisper deficient, sed Deus volens ex tentatione provenhim, ex his sæpe terroribus peccatorum educit meritoriam compunctionem, & novissimorum saluberrimam recordationem.

Chaldæi fecerunt tres turmas, ut pote à terra Huz distantes, venerunt equites (ut dicunt Septuag.) qui more suo excursionem in varias agentes provincias in jobi fundum pervenerunt, & ingentem de omnibus fecere stragem.

Has

Has omnes clades Job per nuntios rescivit, quos
 daemones sub tali specie fuisse judicat. S. Chrysosto-
 mus, tum ob diligentiam in nuntiando, tum ex ip-
 so nuntiandi modo. Sed quid ad hæc Job respon-
 deat, audiamus.

Tunc surrexit Job, & dixit: Dominus
 dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est:
 sit nomen Domini benedictum, & sæculis admirandum
 & omni exaggeratione superius dictum: ac illis tar-
 tareis nuntiis tristissimum, ac terrificum responsum:
 in quo Job paucis, & divinam profitebatur potentiam
 omnium dominativam, laudat providentiam, sapien-
 tiam exultat, seque fortissimum patientia præbet
 exemplar, nobis in tribulatione memorandum, &
 pro posse imitandum.

Percussit Job ulcere pessimo,
 sathan^{ex} ulteriori licentia nocendi Jobo ipsi, salva
 tamen ejus anima: dolores enim corporum, inquit
 in Pf. 130. Augustinus, plerumque immittuntur ab Angelis sata-
 nœ, qui humanam quæquæ potest virtutem & pati-
 entiam tentat, & hic per ulcus pessimum multi doc-
 tores apud Pineta intelligunt ingentem morborum
 copiam, quibus Jobum affici Deus permisit, ut de-
 ceptorem nostrum undique plagatum vivacius præ-

prefiguraret.

Dixit autem illi uxor sua &c. Qui ait ad illam, &c. Hoc, novo accidit diaboli dolo, ut ab ipsa Job irideretur uxore, quam tamen ipse sapienter increpat, & stulte locutam demonstrat, quod prosperis usa, aufugeret ab adversis equanimiter tolerandis ex summi omnium Domini dispositione: ubi uxor mundum representat, cui pro salute eterna pati, videtur stultitia; Job vero Christum ipsum, qui mundum & mortem passionibus devicit, moriens que de stulta vanitate triumphavit.

Post hoc aperuit Job os suum, & maledixit diei suo, nulla utique ductus impatientia, sed sensitivæ solim patris affectum, dolorisque magnitudinem hisce querelis exprimens, quod Dydimus teste, ipsis que salentibus antiquitatis Sapienibus, nullatenus fortitudini opponitur, aut animi constantiæ, quam adeo firmè servavit Job, ut in his omnibus dicere potuerit, se labiis suis nusquam peccasse.

S. III. Job persecutionem ab ipsis amicis sustinet. à Cap. 4. *U*

Textus: Respondens autem Eliphaz Themanites dixit: nunc autem
Cap. 4. v. 9. Venit super te plaga, & defecisti. c. 6. v. 30. Respondens autem
Job.

Licit... & non inuentis in cinera mea iniquitatem. 8. 1. 2. Respondens autem Baldad Suthites dixit: usquequo loqueris talia. Numquid Deus supplantat iudicium? 9. 1. 26. Job ait... Veredar omnia opera mea. 10. 2. Dicam Deo: noli me condemnare. 11. 1. 14. 19. Sophar Naamathites dixit: si iniquitatem quæ est in manu tua absteris. Requiesces. 12. 1. 8. Job dixit: & mihi est cor sicut & vobis. Qui deridetur ab amico sicut ego, invocabit Deum, & exardiet eum. 21. 1. 2. Job dixit: audite queso sermones meos, & agite paenitentiam.

Predictis Jobi tribulationibus, gravissima ista accessit, ut & ab amicis argueretur in multis; illi fuerunt Eliphaz Themanites, & Sophar, viri aliàs pii & sapientes, sed & hic ex verissimis principis falsa deducentes in Jobi contumeliam, qui proprie conscius testimonio innocentie, ad objecta pie & constanter respondit, non suam, sed Dei causam suscipiens defendendam; unde illis iterum atque iterum sibi insultantibus, ipse in divinas prorūpebat laudes, suam que testabatur innocentiam posteris ex indefensa contumelia scandalum aliquod oriretur, & nē divinam in se expertam celaret providentiam.

Respondens autem Eliphaz Themanites dixit: ubi Respondens, pro se sistens accipiendum, ut frequens est Sacris Literis. Atque hic & in posterum adverte quid in amicis

amicis cavendum, nempe, ne hoc titulo te seducant;
2^o ne tua potius, quam te requirant, 3^o eo nomine
habeo indignos, qui te desolatum reliquerint, aut
parum tibi siderint; tandem universim consilium
ab ecclesiastico assume, ut amicus sit tibi unus de cap. 6.
mille, & ab amicis tuis attende;

Venit super te pla-
ga, & defecisti, impatientia crimen imponit viro
patientissimo, nobis potius improprium, qui
tempore adversitatis à constantia deficientes, in-
querulosas prorumpimus obmurmurationes, minus
bene jam de Deo sentientes, & passionis Dominica o-
bliti adversitatis utilitatem non agnoscimus;

Respon-
dens autem Job dixit, propriè hic reponens ad sibi
objecta, sed hæc verè suis dictis practicè falsificans,
qui delicti arguitur tantam præbet inferendam inno-
centiam; de impatientia accusatus & inconstantia fir-
mum & resignatum, fugit in Deum animum: sic
& pro nobis ipsis respondere coacti, ea id præstemus
modestia, ut ex operibus potius, quam retorsionibus
nostra eluceat innocentia;

Non invenientis in lin-
gua

qua mea iniquitatem, mirum sane portentum,
 Jac: 3. 6. cum lingua, teste Jacobo, sit iniquitatis universitas:
 inde que omnino extollendum, sed & linguae nostrae
 custodia deducenda, ita ut os nostrum, justitiam
 semper meditetur ex Ps: nec unquam in verbo offen-
 damus, ut perfecti simus, aut unquam verbum legis
 recedat ab ore nostro, ut habetur Jos: 1. 4. 8.

Baldad
 subiles dixit: usquequo loqueris talia: numquid Deus
 supplantat iudicium? quasi jactantiam, & arrogan-
 tiam exprobrat hic alter Jobi amicus, zelo ut mini-
 mum maxime indiscreto actus, uti moveri videmus
 quam plures, qui iustorum exempla, piam ve conver-
 sationem non valentes sustinere, id superbiae, vel loqua-
 citati attribunt, ne pietatem sequi cogantur, anima
 pharmacum convertentes in venenum.

Job ait: verebar
 omnia opera mea, humilitatis actu. Falso superbi ac-
 cusatus respondet, timidum se fateri in operando,
 ne scilicet in aliquo Deum offenderet, quod iustum
 est atque beatorum in hac vita, ubi cum timore ac tre-
 more salus est operanda, credendum que cum Pau-
 lo, nobis etsi nihil conscius, in hoc tamen nos non esse
 justificatos. Jobum non fuisse scrupulis agitatum, sed
 pio

pio ac sancto Dei timore percussâ conscientia ju-
giter operatum & locutum, verius censebis, ex Pineda,
ni, & volueris ejus aliis cruciatibus, & hunc non exi-
guum adnectere.

Dicam Deo: noli me condemnare.
hoc utique Job dixit, filiali item Dei timore commo-
tus, ne, etsi suæ sibi conscius innocentia, apud Deum
tamen reus inveniretur, cujus judiciorum & cogitationes
tantum distant ab humanis; atque etiam id dixisse
sæcredendus est, sinistra hominum & amicorum sper-
nens judiciorum, et solius Dei exposcens commendationem,
ut verè probatus esset ex illo ad Cor: 10. ille probatus
est, quem Deus commendat.

Si iniquitatem quæ est
in manu tua abstuleris, requiesces, dicebat Sophar
tertius Jobi amicus, patrio nomine Naamathites dic-
tus, & ut duo alii, cognomen à patria mutuatus, qui
Jobi calamitates peccatis ejus attribuit, cui Job, simul
& aliis, audacius illos increpans, respondet: Et mihi est
cor sicut & vobis; ubi ly cor pro sapientia, & intellectu
germanicus accipies, unde Eo sicut & vobis pro ea simi-
litudine intelligas, quam patitur Jobum inter & eos amicos
in sensu diversitas; quos tamen hic Job non ferit, sed mo-
destè corrigere intendit, ut impiam, sibi que ac Deo odio-
scum

370. sam deponerent sententiam, quæ propter et exhortativè addidit: Qui deridetur ab amico, sicut ego, invocabit Deum, & exaudiet eum, qui propitiis est omnibus invocantibus se.

Audite quæro sermones meos, & agite penitentiam: ubi Job audientiam facit, seu postulat, ut antecedenti à se dicta, & sinistrè ab ipsis suis amicis accepta, pluribus exponat, primumque suum sensum amplius declaret ad eorundem edificationem, & præcipite interpretationis pænitudinem, & rectificationem: quæ propter addidit: penitentiam agite: quod unicum est cuiuslibet delenda remedium, & peccati cuiuslibet maximè sanativum antidotum.

§. IV. Alia Jobi cum Patientia virtutes eximia à Cap: 23.

Textus: Cap: 23. 15. A facie ejus turbatus sum, & considerans eum timore sollicitor. 27. 4. 5. Non loquentur labia mea iniquitatem... non recedam ab innocentia mea. 29. 16. Pater erā pauperum. 31. 1. Popigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine... 14. Quid enim faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebō illi? 39. 55. Unum locutus sum, quod vitæ non dixissim, & alterum, quibus ultra non addam. 42. 8. Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam.

Hic Job divinum iudicium humiliter invocans, quàm recte de divina sentiat providentiâ ostendit,

371.
justitiam ejus proponit timendam, summam de-
monstrat independentiam, ac incomprehensibilem
potentiam; deinde apud amicos se justificat, ut à
sibi impositis calumniis, & divina offensa respiscant;
pristinam suam multis enarrat felicitatem, ut Deum
laudet, bona quoque sua refert opera ad edificatio-
nem & publicam vindictam; pro quo & ipsum Deum
sua testem appellat innocentie: quibus omnibus ta-
cere compulsi amicos; sed & alia cum Eliu viro sa-
piente inita disputatione, & verborum certamine,
Deus ipse se interposuit, Eliu que silere jussu ma-
gna & mirabilia opera sua Jobo declarat, qui
hisce permotus fatetur, se temerè locutum, pluribus
que à Deo ~~instructus~~ instructus, se ultro humiliat, un-
de jam ab ipso laudatur Domino, & amicis prefer-
tur, pro quibus orans exauditur.

A facie ejus
turbatus sum, & considerans eum timore sollicitor
Hic virtutum omnium elucet initium: timor Dñi
cum vera humilitate conjunctus, ubi Job sub poten-
ti manu Dei se humiliat, ac Dei semitas conside-
rans expavescit, quibus abunde primis amicorum
suorum objectionibus satisfacit, sicut & iis, quibus
eum

372 eum de divina iustitia & providentia minus bene sentire exprobrabant.

Non loquentur labia mea iniquitatem, ubi præter patientiam Jobi tot patientis emicat laudandum silentium, & in verbis circumscriptio prorsus imitanda, ut non prius ad linguam verba proveniant, quam repetita præmeditatione limentur; unde Propheta Ps: 70. sic proponit: *Lingua mea tota die meditabitur iustitiam.*

Non recedam ab innocentia mea, seu Non separabo à me innocentiam meam, ut vertunt Hebræi, quod eximie constantiæ propositum est, & perseverantiæ in bono, à quo ex quibusvis adversitatibus nunquam desistendum. Davidis exemplo, etiam si consisterent adversus nos castra, prælium exurgeret, forti perstemus animo, ut inhabitemus in domo Dni in longitudinem dierum Ps: 26.

Pater eram pauperum, præ misericordia erga pauperes & egenos, quos copiosis alebat elemosinis, dum bonis afflueret, pauper vero ipse paterno semper prosequeretur affectu: hinc S. Greg. ait: Non patronum se, vel proximum, vel adiutorem pauperum, sed patrem fuisse testatur quia nimirum magno charitatis officio, studium misericordiæ vertit in affectum
na.

nature

*Depigi fatus cum oculis meis, ut ne cogitare
 quidem de virgine: mira sibi continentia, quia vel
 remotiores sibi declinandas statuit occasiones, non modo
 ut peccatum praeceat consummandum, sed & primò co-
 gitandum: in quo nobis attenta commendatur oculorum
 custodia, quae tantū cernitur esse ad castitatem momenti,
 item pia mentis applicatio, ne pravis cogitationibus so-
 vendis locus remaneat, quia teste S. Greg. Per Moysen
 luxuria perpetrata, per auctorem vero munditia &
 cogitata damnatur.*

*Quid enim faciam cum surrexe-
 rit ad iudicandum Deus, & cum quæsierit, quid res-
 pondebo illi: en sibi profunda humilitas, quae se
 etsi coram hominibus ad aedificationē se professus sit
 innocentem, coram Deo tamen reum confitetur, sibi ip-
 si, suis que, etsi cognitis bonis, diffidens operibus, & sane
 iudicia Dei abyssus multa, non respondebit ei unus
 pro mille, qui ipsas iustitias iudicabit.*

*Unum locu-
 tus sum, quod utinam non dixissem, & alterum qui-
 bus ultra non addam, & quibus Interpretes cum S.
 Gregorio colligunt, non tam lapsum Job verbo nequā
 aut falso, quam paulò liberiori oratione cum de Deo
 disputaret, & propriam defenderet innocentiam, verū
 & hac sanctae cultam in loquendo libertati, Dei cau-
 sam*

874. causam suscipienti piè possumus attribuere. ~

Job autem servus meus orabit pro vobis: quibus Deus ipse Jobi mansuetudinem commendat & inimicorum dilectionem, quæ ut Christi figura pro calumniatoribus, illusoribus, & exprobrantibus erat oraturus propriarum obliatis injuriarum: hinc, Nicetas ait, certaminum munus ac trophæum reportat, cum amicis veniam impetrat, ~

Faciem ejus suscipiam, hoc est, orationem exaudiam, multum enim valet apud Deum justæ assiduæ deprecatio; Jobi quæ in his justitia per prophetam declaratur & sanctitas, cum ipsum Deus mediatorum inter se constituit, & eos qui erraverant, illius præferens orationem, & ejus precibus promittens efficaciam: unde sequitur v. 9. & suscepit Dominus faciem Job, ~

S. V. Job pristinae felicitati restituitur. Cap: 42. v. 10. 12. 13. ~

Textus. Et addidit Dominus omnia, quæ fuerant Job, duplicia... & facta sunt ei quatuordecim millia ovium, & sex millia camelorum, &c. & fuerunt ei septem filii & tres filiae. Dedit quæ eis pater suus hæreditatem inter fratres earum. ~

Postquam Deus ipse Jobum coram ejus calumniatori.

toribus laudasset, decrevit eum multo ampliori fortuna locupletare: unde ei bona duplo multiplicavit mirabiliter & brevissimo tempore, honores pariter restituit & amplificavit, atque perfecta sanitate donata, concessit ex pulcherrima simul & honestissima uxore, septem filios suscipere, & tres filias maximè speciosas, quas, cum nuptui mature facta essent, honestissimo patre matrimonio collocavit, dote ingenti tradita, quippe universas facultates ex asse universis utriusque sexus liberis partitus est: Filiorum nomina tacet historia, solis filiarum declaratis, vocans 1^{am} Siem, Cassiam 2^{am} & Cornustibii tertiam, quibus novum Jobi splendorem, virtutum odoriferam suavitatem, ac fortune incrementum significari indicat noster hic Pineda

& addidit

Dominus omnia, quae fuerant Job duplicata; En qui patientie fuit exemplum, vel in hac vita duplicatum reportat premium, sed & ut addit Augustinus, duplicatum sibi paravit meritum, & dānum diabolo intulit duplicatum; Ecce quomodo vir patiens loquitur victorias, & timentem Deum bene est in extremis, eul. 13. quia etsi ad tempus

sus-

sustineat patiens, postea redit geminata iucunditas. Eccl. 1. N. 29.

& facta sunt ei quatuordecim millia ovium, &c. non utique repentino & subito incremento, sed bene festinata & veloci successione, qua tam viri, quàm feminae omnes Job obtulerunt pecora, pecunias, inanes, & pretiosa quæque: unde quamvis à singulis parum acceperit, à donorum copia & valore factus est brevi ditissimus, Deo novissimis ejus benedicente magis, quàm principio, ut copiosior appareret patientiæ remuneratio, quam prima gratuita largitio, cum hæc fuerit ad probationem amovenda, illa autem ad exemplum & adificationem multiplicanda.

& fuerunt ei septem filii, & tres filia, quos Job Deus concessit ad felicitatis cumulum, vel omnino aliòs, vel, ut aliqui volunt, priores ipsos pro resurrectionis fide amplianda suscitatos, quos Deus ut alia Jobi bona non duplicavit, ut abundantior eis pars hereditatis obtingeret, etiam duplo major quàm aliàs fuisset: quod & plus arridet parentibus, quàm numerosior filiorum multiplicatio. Atque in hoc toto Jobi bonorum incremento, nota

ta, perophimè expletam, Dei promissionem. *Math. 19.*^{377.}
factam relinquentibus omnia, quibus, ex mente Hie-
ronymii, ea utique de temporalibus tribuuntur, quæ
verificent augmentum, sed ex spiritualibus abundè
perficitur promissum centuplum.

Dedit que eis pa-
ter suus hereditatem inter fratres earum: quod
probabilius intelligas de dote opima sibi à patre
tradita in tempore nuptiis opportunum, non autem
quod etiam filie successerint ex asse hereditati pater-
næ, ni crediderimus, id non repugnasse juri tempo-
rum illorum: hoc eruendum, filias suo tempore ho-
nesto locandas matrimonio, si aliàs aliquod earum
puritati periculum immineat.

**VI. §. De Jobi ætate, obitu, funere, Se-
-pulchro. Cap. 42. à v. 16.**

Textus: Vixit autem Job post hæc centum quadraginta
annis... & mortuus est senex, & plenus dierum.

Mirabili igitur bonorum omnium ubertate
& felicitate vitam beatissime vixit noster
Job spatio centum quadraginta annorum
post calamitatem perpessam per annos ut
volunt septem, ante quos & alios circiter cen-
tum

tum quadraginta vixisse censeatur: unde utro-
 bique comparato illo septenario, verosimilior
 exurgit numerus 280 annorum vitæ Job, in
 quibus tamen computandis, uti & varietate, sic
 & incertitudin^{em} haberi necesse est: ~~ante~~ extremam
 eius senectutem non modo liberi recrearunt,
 sed & nepotes, atque abnepotes tanti avi no-
 morum minus, quam facultatum hæredes.
 Demum que postquam ad satietatem usque
 beate ac feliciter vixisset, vita perfunctum cum
 ingenti pietate universa illius cognatio cura-
 vit, aromatis que conditum, iusta persol-
 ventes, regio munierunt sepulchro ~

Vixit
 autem Job posthæc 140. annis: ne & longævæ
 ei deesset felicitas vitæ, in præmium tolerantia,
 ut que protractam videret filiorum descenden-
 tiam, qua temporalis esset patri corona, immor-
 talis prævia: in quo unice temporalium stare
 potest felicitas, ubi sunt indicativa æternorum,
 & fidei ac spei promotiva ~

& mortuus est,
 utique, morte justorum, ut qui persevera-
 vit

379.
vit usque in finem, qui non egit dolum in lingua sua, vir rectus & simplex, permanens in innocentia sua, ac se ab omni malo opere abstinens, adversa longanimiter sustinuit, nec est elevatus in prosperis: o mors felicissima, vera vita initiativa, per quam Job (etsi non illico, Redemptionis defectu) & vince parabatur fructuioni, qua cum Christo post resurgens statim corpore & spiritu politus est, ut ipse tam anticipato prænunciaverat, & suae resurrectionis & gloriae confidentia permotus à Deo imbuta, & in sinu illius firmiter reposita, uti ipsemet Cap: 19. protestatur, & à Doctoribus exponitur apud Pinedam, hic, Henao in Empyreol: à Lapide in Ionam c. 2. & alios.


Senex
& plenus dierum, senectute non minus meritorum, quam annorum numero venerabili, ut in ipso maximè verificaretur Psalmus 90. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum: longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum. Obiit
Job

380. Job die 10. Maij iuxta Romanum Kalendarium,
6^a verò secundum Græcorum Menologium, quo
ad annum nihil certi est reperire, cum nec de
totius Historiæ tempore certo constet, solum
que probabile extet contigisse dum Israel po-
pulus habitaret in deserto, ait Royaumont.

Non
dubium, quin ex more Ægyptiorum, & arabū,
arabibus liquoribus Jobi corpus medicatum,
ac funerali pompa, ut regem decebat, fuisse
exequiatum: unde narrant Abulensis, Bro-
chardus, Breidembachius, Fretelius, adducti ad
Adrikomio in suo Theatro terræ Sanctæ, exta-
re etiam nunc in sinibus Idumææ & Palestinæ
in Jordanis planitie, ad orientem Suetæ civita-
tis, Pyramidem sepulchri sancti Job, quam ac-
pud Pinedam sic idonea forma delineatam
ac pio insignitam Epitaphio, uti re-
perio, ita in tanti Viri honorem
& cultum huc appingendā
censui



JOBI PYRAMIS SEPULCHRALIS.



In aiale meo moriar

Sicut palma multi plicabo dies.

D
O M
orientalium Regum
Rex Sapientium: opulentiss. Princeps
Musitanus Servus Dei Caeli/Job
Hic situs est
(ait)

H. S. E.

Monumentum hoc do pietatis et patientia memoriam sempiternam spemque resurrectionis cum Redemptore certissimam Septem eius filii et filia tres Dies Cassia Cornustibii viro Optimo cum bona cum mala fortuna composito utriusque victori fortissimo Sabanae triumphatori felicissimo omnium mortalium patientissimo Abrahamica fidei et sanguinis heredi Propete magno parenti dulcissimo

A. animo L. libenti P. ponunt
vixit annis 280.

P. Pius I in S suos

HOSPES ASTA, ET PELLEGE.
 Qui se, qui seculum vixit, qui seva suorum
 Funera, amicorum jurgia, pauperiem,
 Ulcera qui carnis, qui conjugis impia verba,
 Qui celum iratum, mentē tulit placida
 Indomita virtute sobum patientia virgo
 Jam vidua hoc sponsam condidit in tumulo.



PROFES AITA ET PELLAGE
L'EST DE LA MANIERE DE LA SEIN...
L'EST DE LA MANIERE DE LA SEIN...
L'EST DE LA MANIERE DE LA SEIN...
L'EST DE LA MANIERE DE LA SEIN...
L'EST DE LA MANIERE DE LA SEIN...

Caput XX.

Daniel

Inter Prophetas Majores unum Danielelem
 modulo nostro commentandum selegimus, uti
 cujus præ cæteris liber propriè Historicus
 apparuit; narrat enim gesta annorum 80. nem-
 pe à 3^o Joaxim ad 3^{um} Cyri, posuntque ex
 eo erui Captivitas Babylonicæ, Nabuchodo-
 nosoris, Balthasaris, Susannæ, & aliorum
 successivi eventus; in quo & hujus libri stat
 præstantia, quod et Propheticus, & dogmaticus,
 simulque comprobetur & historicus; ejus quo-
 ad omnia auctoritas jam post Tridentinum,
 & canonica, & irrefragabilis est habenda; sed
 & ab auctore Daniele commendatissima, quæ
 Patres sancti uno ore tot extollunt encomiis,
 & ex horum decursu nos quoque dabimus tot
 præstantem excellentiis, dignitatibus, & meri-
 tis

S.

J. I. Daniel puer in Babylonem adducitur, & exaltatur à rege in tres eius coevos crudeli. Cap: 1. 2. & 3

Textus: Cap: 1. v. 6. Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda Daniel, Ananias, Misael & Azarias. 8. Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis. Pueris autem his dedit Deus scientiam. Danieli autem intelligentiam visionum & somniorum. Cap: 2. v. 47. Loquens ergo Rex ait Danieli: verè Deus vester Deus Deorum est quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum. 48. Tunc rex Danielem in sublime exiit. Cap: 3. v. 23. Sidrach, Misach & Abdenago ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati. 24. & ambulabant in medio flammæ laudantes Deum.

Daniel Propheta ortus est regia styppe de tribu Iuda: patria illi fuit (ex S. Dorothei & Epiphonio eius vite scriptoribus) Bethoron superior iuxta Emmaus: natus est verius anno 15. Josiae, Mundi 3320. ante Christum 630. erat que Jerosolymis cum eam ^{vriem.} invasit Nabuchodonosor rex Babylonis, qui & regem Joachim ac Danielem cum tribus sociis abduxit in Babylonem nec non & plures alios nobiles; Danielem verò & socios ut regio natos semine cibus regis nutriendos, & culte educandos tradidit eunichorum suorum

Pre:

Prefecto: cuius gratiam nactus Daniel, obtinuit,
 se cum suis consueta uicitare abſtinentia, qua
 tamen ceteros late epulantes ipsa uulſus corpule-
 tia ſuperarent, & multo amplius ſapientia; Da-
 niel que à Deo donatus eſt intelligentia ſomnio-
 rum, unde primum de ſtatua ſomnium regi
 eſt interpretatus, à quo propterea Deum confi-
 tente eſt honoratus, muneribus ditatus, ac cū
 tribus ſociis uniuerſæ prepoſitus Babylonia
 ubi Danièle, forte jam ad negotia abſente, ſtatua
 erexit auream Nabuchodonosor ſe referentem,
 quam ſub combuſtionis pœna cunctis propo-
 ſuit adorandam, unde tres Danielis ſocios id
 reuertes in paratam ignis fornacem colligat-
 tos injici iubet, videns tamen illos Deum
 ibi collaudantes obſtipuit, de fornace evocavit,
 ac Deum cum ipsis Deo benedixit, ac omni-
 bus benedicendum edixit, in blaſphemos pena
 mortis ſancita.

Fuerunt ergo inter eos Daniel
 Ananias, Miſael, & Azarias; Daniel, Dei ju-
 dicium ſonat Hebræis, & cum eis nomina mu-
 tarentur, Baltassar dictus, Belli ſapientia in-
 titu-

titulatur à Maldonato; & quidem utrumque
 verificavit ille in hoc suo Libro significatum, ubi
 in tot successibus Dei iudicia, perhimescenda pro-
 ponit; & pro bellis tam civilibus, quam spiritua-
 libus sapientissima tradit documenta: sic & no-
 bis convenient sacra quæ à Bapthimate gerimus
 nomina, si eorum Divorum sategerimus præci-
 piæ sectari exempla.

Proposuit autem Daniel
 ne pollueretur de mensa regis, tum ex religione,
 ne sibi ^{leges} vitios sumeret cibos, tum ex temperan-
 tia, ne escæ & potûs copiâ, corpûs saginatum
 in spiritum superbi-ret: bene quidem apposuit:
ne pollueretur: utriusque enim illius virtutis de-
 fectus, & animæ & corporis munditiæ maxime
 consuevit adversari: Sed & tanta observantiâ
 premium etiam non defuit humanum, cum
 Daniel cum suis ab abstinentiâ, ipsa & decorè
 multatus est, vultus que pinguedinem ampliorè
 præ cæteris regio pastis alimento.

Pueris autè
 his dedit Deus scientiam, in prædictæ quoque
 sobrietatis premium, quæ & scientiarum nutritrix
 me

merita à sanctis & doctis habetur viris: unde ha-
 bet Isaias Cap: 28. *Quem docebit scientiam, &
 quem intelligere faciet auditum? ab lactatos à lac-
 te, avulsos ab uberibus;* sed & ultro dedit Deus
 Danieli intelligentiam visionum & somniorum,
 qua solus potuit Nabuchodonosoris somnium ex-
 plicare, ut videre est cap: 2. ex quo eruen-
 dum nobis est, non facile credendum phantasticis qui-
 busdam visionibus ac somniis; dumque, ut hic, à
 Deo immissa similia prudenter crederentur, non
 nisi probatorum in spiritu virorum iudicio ac-
 quiescendum, nec proprio sensui innitendum.

Verè

Deus vester Deus deorum est. quoniam tu potuis-
 ti aperire hoc sacramentum, dicebat Danieli Na-
 buchodonosor sui permotus revelatione somnii:
 visus est verum agnovisse Deum talis scientia
 auctorem, ut insinuat S. Hieronymus; sed & Da-
 nielē pro viribus reluctantem divinis capit
 colere honoribus, qui Dei unitatem non attige-
 rat, fide debita, sed ex mera auditorum com-
 placentia Numen novum apprehenderat. Disca-
 mus omnium mirabilium unicum profiteri
 ac laudare auctorem Deum nostrum. *Hinc*

Tunc rex Danielem in sublime exilit, seu principem imperii constituit, babylonicaeque monarchiae rectorem, ita ut, inquit S. Hier.: nemo sine ejus auctoritate ad regem ingrederetur: qui honores in Daniele non mutarunt mores, ut assolent, qui in cunctis semper modestiae studuit, ac temperantiae; nec regiae fidebat familiaritati tantis obnoxiae mutationibus, neque sibi de potentia arrogabat, quae aded instabilis est, sed & à Deo concessa, qui potentes superbos de sede deponit, ut exallet humiles. Luc. 2

Sidrach, Misach, & Abdenago, tres illi Danielis coevi, Ananias, Misael, & Azarias ante dictam nominis mutationem dicti, jure hic Viri appellati, constanter recusarunt impiam stultae adorationem tribuere, Martyrum verae primitiae, se cruciatibus obhulerunt, Deum ac aeternam praeculis habentes mercedem, barbari regis minas nihili penderunt admiranda & imitanda fidei firmitate.

Ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati, non minus charitatis affectu, quam

quam corporum ligamine: ubi cum puerorum
 constantia, demireris & impij regis volubilitatē
 animi, qui dudum Danielem & Deum censebat
 adorandum, nunc se ipsum in statua colendum
 imperat; prius hos pueros veritate compulsus ex-
 altat, mox eosdem veritatis defensores, superbus
 deprimat: hæc quotidiana in mundo inconstan-
 tia, hic successivus & continuus in curiis ascē-
 sus & descensus

& ambulabant in medio flam-
 mæ laudantes Deum, solutis ab Angelo vinculis
 eo tutante ignis ardorem non senserunt, & me-
 rito pro tanta gratia Deum laudarunt, & crea-
 turis omnibus benedicendum prædicarunt; in Deo
 speraverunt, & non sunt confusi; virgines erant,
 (ut tenet Damascenus) & ideo in medio ignis non
 sunt aestuati: ipsos imitemur (ait à lapide) & si-
 milita experiemur. Tandem sanè & regis crudeli-
 tatem, & Dei protectionem Daniel sensit, si ad-
 fuisset, qui & simili fortitudine, sapientia, & casti-
 tate à Deo donatus fuerat, & hac tali, ut re nõ
 eunuchus (ut verè de eo & socijs tenent ss. Epiphani-
 & Dorothæus) talis tamen ob verecundiam existi-
 maretur, & hucusque ut talis imberbi forma de-
 pingatur: unde non coacta sed plane voluntaria
 ca-

L. 4. de fide
 cap: 29.

S. II. Nabuchodonosoris, ac filii ejus Balsasaris exitus funesti à Daniele prænucciati. Cap: 4. & 5.

Textus: Cap: 4. *N.* Respondit Baltasar (Daniel) Arborem quam vidisti. Tu es Rex, qui magnificatus es & invaluisti. ... ejicient te ab hominibus, & cum bestis ferisque erit habitatio tua. 30. Sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus ad bestias est factum ut bos comedit. 31. Post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad caelum levavi & sensus meus rediit mihi & alissimo benedixi = Cap: 5. *N.* 1. Balsasar rex fecit grande convivium 4. Bibebant vinum, & laudabant deos suos 5. In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scripserunt. 25. Hæc est autem scriptura Mane Thecel, Phares & hæc est interpretatio sermonis. 30. Eadem nocte interfecit est Balsasar rex Chaldeus

Igitur Nabuchodonosor anno regni 37. qui fuit secundus monarchie ejus, decimus vero octavus ab excidio templi & captivitate judæorum, vidit somnium de excelsa arbore succidenda, quod solus Daniel interpretari potens de futura explicuit regis ejectione septenni, & cum feris habitatione: quod ad apicem Nabuchodonosor expertus, cum bestis septennio habitavit, regno pulsus, gramen ut bos comedit, roreque cæli perfusus est, donec Danielis oratione menti ac regno restitutus, Deum cæli confessus est, cunctis quæ per epistolas divulgatis paulo post est mortuus: ei quæ autem in regno successit

Bal-

Balsasar ejus (ut verior fert apud Cornelium ap-
 nio) filius, & idem cum Evilmerodach, qui proinde
 regnavit annis 34. qui si addantur ad 36. Nabucho-
 donosoris, cujus anno 8. seu Joaxim 14. cepit capti-
 vitas, hujus complent certos 70. annos. Hic ergo
 Balsasar ultimo regni sui anno, cum die quidam
 convivium institisset sibi cum suis optimationis, &
 vine & idololatriæ cultui indulgeret, subito manus
 in pariete sic scribens apparuit Mane, Thecel, Pha-
 res: quæ cum Magorum nullus intellexisset, advoca-
 tus Daniel, & legit, & interpretatus est de funesto re-
 gis exitu, ac regni divisione ad Persas & Medos:
 hinc Rex Daniælem honorat torque & purpura;
 ipsa vero eadem nocte à Medis & Persis, Baby-
 lonem Deo favente (jerem: 51.) ingressis, occisus est Bal-
 sasar, regnum que Darius Medus suscepit jam
 62. annos natus.

Respondit Balthassar, seu Da-
 niel, utique siscitatus, & ex professo interrogatus
 à Nabuchodonosore propter somnium sollicito,
 magna enim imprudentiæ est, immò & impuden-
 tiæ, se negotiis, aut dubiis aliorum ingerere non
 vocatum, satius que est, etiam consultum, dicta
 aliorum, ut hic Daniel, expectare, atque ex au-
 ditis

392. ditis, Deo item consulto, sensum suum ipse a-
perire: hinc Eccl: 20. habetur: Sapientis tacebit us-
que ad tempus, sed & cap: 11. monemur: Priusquã
audias, ne quid respondeas,

Arborem, quam vidis-
ti, tu es rex qui magnificatus es, & invaluisti; fre-
quens est sacris litteris, ac Oratoribus hominem ar-
bori aut plantæ comparare, jam fructuose in Dei
horreum parata, jam, ut hic instructiosa succiden-
da & in ignem mittenda, sed & accommede superbo-
rum dejectionem, & vanæ celsitudinis nihilitatem.
Psalmes expressit dicens Ps: 36. v: 35. Vidi impium su-
perexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, trá-
sivi, & ecce non erat,

Ejicient te ab hominibus,
& cum feris erit habitatio tua; ita merentur
peccatores, & in proximos crudeles, ut qui ferinos
inveniunt mores, odio sint hominibus; & cum bes-
tiis habitent, qui bestiales sequuntur appetitus,
homo enim in honore constitutus cum non intelli-
geret jecte comparatus est jumentis insipientibus,
& similis illis factus. Ps: 48.

Sermo completus est su-
per Nabuchodonosor, qui primo in amentiam ver-
sus

sus est, mox que à suis, ne sibi & aliis noceret^{393.}
vinculis adstrictus est, & inclusus: vera animae
peccatricis imago, quae prava vitiorum consuetu-
dine delirans à propriis alligatur passionibus,
& ita compressa detinetur, ut in sacram peniten-
tiae arenam exire jam non valeat, & sibi ipsi &
aliis facta gravis & noxia, undique eam circū-
stantibus peccatorum funibus, odiosum Deo, Ange-
lis & hominibus spectaculum eddit.

& ex hominibus ejec-
tus est & fœnum ut bos comedit: Danielis monitu
solutus & ad silvas cum bestiis dimissus ad septē
annos: hic probabilius censebitur, Nabuchodonosorē
non fuisse substantialiter mutatum in bestiam, sed
verē hominem mansisse, figuram tamen, comple-
xionem, habitus, vocem, furorem, & singula exer-
citiā ferinae accepisse, & rationis usu ad hoc sem-
per caruisse, in aptam justam que pœnam feri-
næ ejus superbæ, tyrannidis, callæ, & vitæ. ita ex
sensu S. Hier: Theod. Rupert. & Greg: 5. Mor: 6. item
Lud: Molina, & Delrii L. 2. de Magia q. 18. si enim ei
rationalis anima esset adempta, jam idem non esset
qui peccaverat & puniretur, ut ratiocinatur à Lapi-
de hic

Post finem dierum ego Nabuchodonosor
ocu-

394. oculos meos ad caelum levavi, &c: quibus probabile fit non paucis & ipsi Augustino, Nabuchodonosorem hac septennali poena serio ad verum Deum conversum, contritum, humiliatum indeque justificatum, fuisse, & post mortem salvatum, ex quo Divina commendatur clementia, quae mortificat, & vivificat, neminem vult perire, nolens mortem peccatoris; sed ut poenitentia conversus vivat, hic non parcit, ut in aeternum parcat.

Balsasar rex fecit grande convivium, sane mira recordia, seu praesidentia, fuit, epulis, & crapula indulgere, hoste jam urbem circumsidente: id ipsum, & hoc magis, exercent mortales Christiani, qui de morte quavis hora imminente, fide certi, mundanis falsa securitate deliciis se toto tradunt; sed eheu! peribunt in conviviis suis luxuriantes: 2 Pet: 2, & cum dixerint: pax & securitas, tunc repentinus eis veniet interitus. 1 Thes: 5. ut hic

Bibebant vinum, & laudabant deos suos; quid mirum, si vino absorpti adeo inepte colloquerentur, ac in idololatria caeteris que pessimis rebus exultarent, cum S. Basilio teste, vinum rationem extinguat, belluas ex hominibus faciat, voluntariosque demones reddat ebrietatis.

Homil:
de ebriet:

tas; & ut habet Isaias 28. Absorpti sunt à vino, erraverunt. nescierunt videntem, ignoraverunt iudicium.

eadem hora apparuerunt digiti quasi manus ⁱⁿ hominis scribentis; manus apparuit, non ^{ipse} scribens, ut rex videret sibi insidias parari, sed à quo, ignoraret; sic tentator diabolus sub hominum fallaciu specie, imò & saepe lucidi Angeli, animæ nostræ insidiatur, ne tam pravo auctore cognito principiis obstemus, & laqueum caveamus.

Mane, Thecel, Phares, cuius interpretatio à Daniele fuit: Mane, Numeravit Deus regnum tuum, & tradidit illud; Thecel vel Texel; appensus es in statera, & inventus es deficiens; Phares, divisum est regnum tuum, & datum est Mediæ, & Persidi. Sic Deus omnia in pondere numero, & mensura disponens, actus nostros minutissime numerat; apponit in justitiæ suæ equissima statera, & inventos minus habentes de bono, dividet ab electis in iudicio, tradet que demonibus æternum cruciandos.

Eadem nocte interfectus est Balsasar
Eadem quidem ipsissima, ex verâ plurium sententiâ
contra quosdam, volente Deo ex subitâ pœna sacri-
legi, & sacrorum vasorum profanatoris Balsasaris
im-

396. *impios omnes deterreri, eo que amplius nunc, cū
longè sacriora vasis illis prophanantur in sa-
critega Sacramentorum susceptione, & novæ le-
gis sacratissimæ violatione & contemptu. At-
que ex Balsasaris hoc terrifico exitu temperan-
da erit præsumptibus, nimia forte accepta confi-
dentia, ex prius ^{delecta} Nabuchodonosoris peni-
tentia, findi: esto enim, hæc ^{non existit} ~~est~~, manet tamē
terribilis Dei iudiciorum illatio, quibus inter duos
nobis æquales visos, unus assumitur, alter relinqui-
tur; ille, ut nemo desperet; iste, ut quivis timeat.*

S. III. Daniel in lacu leonum. Cap. 6.

*Textus. 1. Igitur Daniel superabat omnes principes & satrapas,
quia spiritus Dei amplior erat in illo. 2. Porro rex Darius
proposuit edictum. 10. Daniel confitebatur coram Deo suo
sicut & ante facere consueverat. 16. Tunc rex præcepit, & ad-
duxerunt Danielem & miserunt eum in lacum leonum. 23.
Eductus que est Daniel de lacu, & nulla læsio inventa est in
eo. 24. Tunc Darius rex scripsit universis populis... tremis-
cant & paveant Deum Danielis.*

*Daniel assumptus fuerat à Dario in Mediam
constitutus que princeps super satrapas re-
gni: cum que ob sapientiam, amabilem que
indolem, præ cæteris regi charus esset Daniel,
invidiâ in eum concitati principes, eum ac-
cusarunt apud regem ipsum, quòd contra regi-
-tim.*

um edictum quotidie ter Deum cali ora^{397.}
ret. unde, veniente licet multum rege, pro-
jicitur Daniel in lacum leonum, advolutoque
lapide ad os lacu obsignatur regio ac princi-
pum annulo. Dein primo diluculo rex Danie-
lem a Deo servatum, & a leonibus inveniens
illasum, ipsum educi jubet, & talionis penam
exerens, ejus accusatores leonibus objecit, eis
que illico devoratis, decreti publicatione per
totum regnum Deum Danielis timendum
prædicavit. Erat tunc Daniel, juxta nostræ
calculum, 98. annorum, qui cum Dario in
Mediam venerat, ex qua mox, Dario mortuo
(qui unico regnavit anno) videtur remigrasse
Babylonem, & ad Cyrum jam monarcham
factum se contulisse.

Igitur Daniel supera-
bat omnes principes & Satrapas dignitate
& superioritate sibi data a rege, cui virtutes
& sapientia charissimum reddiderant: hoc enim
sibi ubique vindicant bona indoles, pia educatio,
honestas, & modestus corporis gestus, ut vel im-
piorum oculos & affectus in se suavi quadam
coac-

398. coactione rapiant, atque, velut umbram, honores, quò plus aufugiunt, se insequi perlocius experiuntur ~

Quia spiritus Dei amplior erat in illo: hæc occultior causa exaltationis Danielis, interiores nempe à Deo sibi infusæ virtutes, ac dona spiritus sancti, quibus ipse cooperatus a prior & dignior factus erat, ut, Deo disponente, aliis regendis proficeretur; tales utinam suis Reges provinciis semper darent rectores! hinc sapiens c. 6. 22. O! reges populi diligite (inquit) sapientiam, ut in perpetuum regnetis: rex namque sapiens populi stabilimentum est ~

Porro rex Darius proposuit edictum, ut à nullo Numine, præter se, liceret quidquam exorare: quod impium statutum à rege extorserant principes Danieli invidentes, ut regiam perderet amicitiam; Darius que tali adulatione devictus assenserat: quod tamen maximè cavendum principibus, ne ob aliquorum palponum oirectionem à rectitudine unquam deflectant; aut ambitione ducti, plus equò sibi arrogent, ipsa divina jura transgredientes:

Da-

Daniel confidebatur coram Deo suo, sicut
 & ante, ut fidelis Dei cultor, qui nulla persecu-
 tione dejectus constanter in bono persistit, nec ulla
 potuit adversitate deurbari: Merito Aristoteles i.
 ethic. 10. hominem constantem vocat quadratum, quia
 ad omnem fortunæ jactum, impulsus que firmus & so-
 lidus in sapientia & virtute consistit, cum alii leves
 rotentur ut globi.

Tunc rex precepit, & adduxerunt
 Danielem; coactus tandem rex molestis anticonum ins-
 tantis puniendum innocentem accersit, cum debuisset
 consiliis rem examinasse, & pravos consiliariorum
 animos penetrasse: quod maxime notare oportet re-
 ges, Principes, & omnes, qui multis præsumt, ne semper
 sibi propius accedentium consiliis credant; ne blandis
 cedant aculationibus; sed statienda decreta prudenti
 promeditatione concipiant, rectis consultoribus utan-
 tur; ut semper & ubique iusta decernant.

& miserit
 eum in lacum leonum; ita nos perversi mittunt ad
 leones, cum pravis suis inducunt exemplis ut diaboli-
 cis pateamus insidiis, quibus quasi rugibus terreamt
 ut devoret; horum tamen concludentur ora leonum ne
 noceant, si tutelarium auxilium invocaverimus An-
 gelorum, quorum ope voluit ideò Deus Leonum
 edare

400. sedare furorem, ne Danieli nocerent, ut innotescat,
quam clarè adsit iustis tribulatis custos Angelus:
Deus, inquit, misit Angelum suum, & conclusit ora
leonum, & non nocuerunt mihi.

Eductis que est Da-
niel de lacu, et nulla læsio inventa est in eo: Hoc mi-
raculum S. Hieronymus adscribit castitati Danielis,
cujus corpus (inquit Damascenus) virginitate ita ob-
duratum est, ut ferarum dentes dentes ei insigi nequive-
rint; sic qui castitatis dono insigniti labendi omnes
fugiunt occasiones, etsi in medio ignis coacti habita-
verint, absque ulla læsione inveniuntur, quia purita-
tis amore solidatos fera libido penetrare nullatenus
potest.

Tunc Darius scripsit universis populis, tan-
to permotus miraculo, quod Deus misericorditer ope-
rari consuevit, ut sint credibilitatis signa infideli-
bus, qui corporeis magis credunt, quam rationis
oculis: sed verò fideles miracula non expectare de-
bent, sed divina infallibilitati nixi, in fide firmari
ita expedit, ut longe plus Dei fidant revelationi
quam signis quibus-vis exterioribus, ut olim S.
Ludovicus, & imperio & christianitate præclarus,
qui puerum in Eucharistia patentem carnalibus
intueri renuit oculis, qui clarius mente conspicie-
bat v.

Tremiscant, & paveant Deum Danielis, dicebat populis Darius, jam ex Maldonato, ad Deum conversus: sed cur ex miraculis timendus potius quam admirandus Deus hic proponitur? quid profecto, & Dei timor, sapientia principium, pro fundamento conversionis ponendus erat; vel etiam quia tunc ingratis plus timendus Deus, cum magis apparet beneficus 9

J. IV. Danielis visiones. Cap: 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Textus: Cap: 7. v. 2. Videbam in visione mea nocte. 3. Quatuor bestiae. 9. Antiquus dierum sedit. 27. Vexerit populo sanctorum altissimi. 68. v. 4. Vidi arietem cornibus ventilantem. 9. Egressum est cornu unum modicum, & factum est grande. 27. Stipulam ad visionem, & non erat qui interpretaretur. 9. 4. & oravi Dominum Deum meum. 21. Adhuc melloquentes in oratione, ecce vir Gabriel. 10. v. 12. Noli metere Daniel. exaudita sunt verba tua. 11. v. 2. & nunc veritatem annuntiabo tibi. 12. v. 1. in tempore autem illo conurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui 9

Longiorem tot rerum narrationem in hac pauca, de servando more, concludo: = Daniel, qui hactenus res suas, gesta que & somnia regum babiloniorum enarraverat, modo suas refert propheticas visiones; 1^o igitur (cap: 7.) vidit Daniel 4. bestias qua monarchias totidem, ac regnum Antichristi praefigurabant, Deum que Patrem vidit quasi

quasi senem de Antichristo judicantem, Christo
 que ipsi causam & regnum adjudicantem; illiusque
 tyrannica strage descripta, & Christi eternam cum
 sanctis suis futuram proponit gloriam. 2^o. (cap. 8.)
 Describit hircum cum ariete, Alexandrum nempe
 cum Dario, Græcos cum Persis de imperio decertan-
 tes; atque in uno hirci cornu Antiochum Epiphane-
 ejusque cum potentia impietatem perspicit, ita si-
 bi visionem interpretante Gabriele. 3^o. idem Arch-
 angelus Danieli pro judæorum liberatione oranti
 apparet, eam captivitatem solvendam significans,
 totumque redimendum genus humanum à Chris-
 to, post 70 hebdomades annorum, hoc est, post trās-
 actos 490. annos. Mox Daniel lugens & jejunans
 ob interruptam templi fabricam, vidit Angelum.
 (item Gabrielem) mire fulgidum, à quo se exaltati-
 tum, rescivit; cum ecce perspicit perstarum Angelū
 Michaelē cum Gabriele judæorum dimicantem, nō
 utique ex prava contentione, aut cum Charitatis si-
 bi ingenita ulla lesione, sed ante clarè notam dei
 voluntatem, ex mera sensuum & opinionum di-
 versitate, conditionata. Dein Gabriel, predicat
 Danieli bella posteriorum Alexandri Magni
 regum Asiæ, & Egypti, descendens ad Antiochū
 Epiphane, in quo Antichristi tyrannidem,

describit; tandem que (cap. 12) novissima Anti-
christi designat tempora, Michaellem tunc fide-
les adiuturum, resurrectionem annunciat mor-
tuum, & illius persecutionis tempus ad tres
annos cum dimidio duraturum, seu dies 1200.

Vide-
bam in visione mea nocte, ubi, ni fallor, edocemur
illud Davidis Ps. 4. in cubilibus vestris compungi-
mini, vel illud aliud Matth. 26. 41. Vigilate & orate,
tunc enim talia meruit Daniel à Deo sibi reve-
lata videre, cum & ipse nocte in sua persisteret
visione, seu oratione, & pia vigilia, in qua cæles-
tia proprio motu aspiciens, & sublimiora vicissi-
sibi videnda concessa sunt, dicente Deo. Converti-
mini ad me; & ego convertar ad vos, Zach. 1. 3.

Quatuor bestiae,
quatuor significantes imperia, nefandum quoque
inducunt in animam imperium, quatuor hominis
passionum, seu facultatum, quæ ni totidem cardi-
nalium virtutum freno cohibeantur, ut effraenes
bestiæ animam prosternunt ac devorant: sic &
Chalæorum sententia fuit, in hominis nefarii cor-
de bestias habitare; imo, ex Pythagora, sceleratorum
animas ut bruta migrant ob brutos mores.

Anti-

404. Antiquus dierum sedet, nempe Deus Pater
æternus, iudicium spirituale & invisibile, factu-
rus de Antichristo ejusque asseclis Christo filio
subjiciendis; sed & hic possumus etiam Christum
præmeditari Patris imaginem in majestatis thro-
no sedere sessurum pro mundo judicando, terri-
bilem, unicuique redditurum prout fecerit, sive
bonum sive malum. 2. Cor. 5. 10.

Detur populo sanctorum Al-
tissimi, regnum utique Christi devicto Anti-
christo, velex hoc mundo inchoandum, ac paulo
post in calis confirmandum ac glorificandum
per omnem æternitatem; sed vero soli dandū
populo sanctorum, quibus solis in iudicio dice-
tur: Accipite regnum omnino negandum impiis
per terrificum illud: Ite maledicti in ignem æter-
num; Matth. 25.

Vidi arietem cornibus ventilantem
in quo rex persarum significatur Darius Codo-
mannus, ejus que regnum ob nimiam opum & de-
liciarum abundantiam prægravatum; per lanam
enim, teste Plinio lib. 9. c. 47. denotantur opes; & ut a-
rietes propter lanam & carnes occiduntur, sic homo
præ divitiis, & carnis libidine oppressus corrumpit
eis

eis, que, & alios ventilat cornibus ad æterna dan-
nationis occasum

Egressum est cornu unum modicum,
& factum est grande, hoc est, Antiochus, qui inter fra-
tres natu minor, præ cæteris à rebus gestis magnus e-
vasit. Sed & vitia nostra, primo egressu modica & exi-
gua, per incuriam, & reincidentias evadunt grandia,
& ut cornua jam fortia, & acumine scandali conscios
feriunt, & basi eradicabilis propriam opprimunt
animam

Stupebam ad visionem, & non erat qui in-
terpretaretur: dicebat Daniel, sancto timore perculsus
ad tot visa mala populo imminentiæ, cupiens que tã-
te stragis tempora, & circumstantias sibi declarari
ultrò, ut scilicet majori efficaciam illa omnia posset præ-
cavere, & modis omnibus à populo avertere: ubi no-
ta humilitatem, Dei timorem, & in proximos, præci-
pue afflictos, exercendam charitatem

Oravi Dñum
Deum meum, hoc que humilitate simul & charitate
tanta, ut non tam populi, quam sua, fateretur pecca-
ta: Peccavimus (inquit V. S.) quæ apud est Deo pla-
cando deprecatio, quam ab humilibus placens accipit
Deus: unde S. Aug. Sent. 187 sic habet: Bene currit
ad remissionem peccatorum, qui displicet sibi, apud e-
nim justum judicem & misericordem, qui se accusat, excu-
sat,

UNIVERSITA

GRA. 11

Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel: oratio Angelicum impetravit auxilium, ab humili, Angelum pia opinione supremum, pro charitate, Seraphinorum, juxta plures, primum: quanta vis & efficacia sanctae orationis! Orationibus Danieli visa panduntur, sopiuntur flammæ, seræ hebetescunt, cadunt hostes, inimici vincuntur: verba sunt Chrisostomi serm: de Mose tom: 1

Noli metuere, Daniel... exaudita sunt verba tua, hic iterum & orationis vim agnosce maximam, si jejunio, & maceratione societur, quia, ex Gregorio 3o. Mor: 9. tanto avidius gustum sapientiæ accipimus, quanto saporem carnis pro eadem sapientiâ reprimimus, & si a carne blandimenta abscindimus, mox in spiritu, quod delectet, invenimus

& nunc veritatem annuncio tibi, ait Angelus Danieli, digno utique veritatis agnitione, qui apud adeo eam mediis inquiserat: unde, qui æternas voluerit veritates per noscere, à Dei amore ^{cum fiducia} viam ineat, quia ^{consequitur illud} qui ^{consequitur illud} intelligunt veritatem: mox que mandatorum viam, constanter percurrans a Deo cognitionem postulet, dicente Christo Jo: 8. 31. si vos manseritis in sermone meo .. cognoscetis veritatem, & Jac: 1. si quis indiget

vel in alia
editione 18.

Qui confitetur
autem in illo
Sap: 3. 9.

get sapientia, postulet à Deo, 407.

In tempore autem illo consurget Michael, &c, tempore scilicet Antichristi, exsurget in prælium Michael, Princeps ille militiae celestis inclutus, ut tueatur fideles & sanctos in tantis persecutionibus contra Antichristum & Luciferum: sed & ex nunc istum imploremus & Ecclesie & fidelium animarum tutorem & defensorem, cui recte, à Pantaleone apud Sipontanum, tot sacrae adscribuntur victoriae, ut nobis in spiritali cum demone mundo & carne prælio incunctanter assistat, protegat, atque defendat, ne succumbentes pereamus in tremendo iudicio.

S. V. Daniel Susannam vindicat, Belemque evertit. Cap: 13. & 14.

Textus: Erat vir... iuxta... & accepit uxorem nomine Susannam Siliam Helciae, pulchram nimis, & timentem Deum... & videbant eam senes quolidie... ambo vulnerati amore ejus... nemo nos videt... assentire nobis... Melius est mihi obire quam peccare in conspectu Domini... Verre incidere in manus vestras quam peccare in conspectu Domini... Venit ad eam adolescens & concubuit cum ea... Revertimini ad iudicium, quia falsum testimonium locuti sunt adversus eam... Fecerunt que eis, ut male egerant adversus proximum = Non colidola manu facta, sed viventem Deum. Risit Daniel, & dixit animadverte cujus vestigia sint hæc... Diruptus est Draco... miserunt eum in lacum leonum... & ecce Daniel sedens in medio leonum.

Erant Babilone captivitatis tempore duo senes ex

408. ex Chaldaeorum indulgentia constituti iudices pro
causis iudeorum propriis iudicandis, uique presbiteri,
& Achab, & Sedechias dicti; qui ergo castissimam
ioakim uxorem Susannam iudeam clam in hor-
ta se lavantem, ad libidinem seu stuprum concupis-
centes, cum ejus concubitu frui non possent, ipsam
coram populo falso adulterii accusant, quae cum
damnata duceretur ad mortem, Deum que oraret,
Dei spiritu suscitatus puer Daniel (verius 24. anno-
rum) retractat iudicium, ipsos que senes separatim
interrogatos proprio ipsorum ore de falso testimonio
convincit, quos illico talionis poena mulctarunt la-
pidando juxta legem in adulteros Ezech: 16. vel ut vult
Adrichomius igni tradendo jussu Nabuchodonosoris,
uti (inquit ille) praedixerat jeremias cap: 29. Posthaec
regnante jam Evilmerodach seu Balsasar in Baby-
lone, Bel que idolum quotidie adorante, Daniel re-
gis conviva & commensalis, (nunc nobis ut minimi
72. annorum) ei detexit dolum septuaginta sacer-
dotum Bel, qui cum uxoribus & liberis quotidie ap-
positos idolo cibos vorabant: quo deprehenso, rex
sacerdotes occidit, ejus que consensu Daniel ido-
lum Bel, ejus que templum, evertit; similiter & dra-
conem, quem Babylonii colebant, injecta in os
massa ex pice, adipe, & pilis confecta interfecit:
qua

quare instantibus Babylonis mittitur in lacum ^{409.}
septem leonum, inter quos esurientes divinitus serva-
tis diebus sex, ab Habacuc Propheta, illic ex judæa
cum cibo per Angelum adducto pastus est. Die septi-
mâ rex videns Danielem inter leones illesum sedere,
Deum Danielis magnificat, ipso que educto, illius adver-
sarios in lacum conjici jussit, quibus mox à leonibus
devoratis, Deum Danielis timendum ab omnibus præ-
dicat. Ex his collige, insinuatæ Susannæ & Bellis (uti-
que Canonicas) Historias temporis ordine plura jam
ex enarratis præcessisse, cum de Daniele juniore loquā-
tur, qui proinde eas non videtur ipse descripsisse, sed
Hebræus quispiam, inter alia chronica seu diarica,
unde & per modum appendicis Libro Danielis sunt
adjectæ

Erat vir Joachim, & accepit uxorem, con-
sulto viri uxores accipiunt, si id ob sanctos fines
exequantur, ut sunt; effrænem coercere libidinem,
juxta illud 1. cor. 7. 9. Melius est enim nubere, quam
uri, 2. ad proli generationem, & piam educatio-
nem; imò & (saltem secundariò) ad corporis sani-
tatem, styrpis conservationem, familiarum pa-
cem, republicæ bonum, &c.

Susannam filiam Hel-
cia, pulchram nimis, & timentem Deum; quod no-
men Susannæ apte Lilium Hebræis sonat; illa enim
&

410
lilii candorem, in pulchritudine corporis referebat
& animi castitate: quæ duo raro invicem copulantur,
ut quæ sibi mutuo videntur resistere; sed verò externa
forma fragilitatem attendentes, de solius mentis ornatu
& candore sollicitam habeamus curam, ne, vel nos alie-
na, vel alios nostra unquam provocet apparens formo-
sitas, atque hæc, ut lilium, semper sancti Dei timoris et
spinis circumdetur.

& videbant eam senes quotidie. am-
bo vulnerati amore ejus; aspectus causa fuit concupis-
centiæ; sunt namque oculi in amore duces, & viæ ad cor-
dis vulnerationem: unde Poeta quidam verè sic verbis
ludit: (Quid facies, facies Venoris cum veneris ante?) Sed & hic vide, quo-
modo glutinosa luxuria usque ad senium & mortem ho-
mini adhaereat; est enim, ait S. Thomas 1. 2. q. 75. a. 8., insa-
tiabilis appetitus; quare vel minimis hic obstandum
principiis, & à lapsu sciatim resurgendum, ne iterum ite-
rum que recidentes, ab hoc glutine nos expedire ultro
non possimus.

Nemo nos videt. assentire nobis, o' insen-
sati! Non intelligitis (Ecc. 12. 27.) quod omnia videt ocu-
lus illius, quem nihil latet vel in humana conscientia.
Ad sic loquentes, aut intra se fingentes oculos pecca-
tores, apte sic respondet redarguens Bernardus ^{Sen. ad cler.}
c. 16. Esto nemo te videat, non tamen nullus; videt te An-
gelus malus (ut accusator) videt te Angelus bonus (ut tes-
tis

his) videt se & bonis & malis Angelis major Deus, ut iudex futurus in illa die iræ, calamitatis & miserie

Melius est mihi, & à laudabilis & imitanda castæ Susannæ constantia, quæ maluit vitam perdere quàm virtutem, homines irritare, quàm Deum offendere; in quo & mirâ enituit prudentia, satius sibi esse credens in hominum manus, qui in solum corpus prævalent, incidere, quàm in manus Dei viventis (quod horrendum & terribile est Hebr: 10. 31.) qui & corpus & animam potens est mittere in gehennam; falsi namque testes sanam ledere poterant nullatenus autem ejus maculare conscientiam, ut notat Chrisost: homil: de Susanna

Venit ad eam adolescens & concubuit cum eâ; dixerunt mentientes illi duo senes, Susanna inferim Deum enixè exorante, & tacendo ipsi soli fidente, qui suos sinit in arcta redigi, ut discant in eum sperare, ut postea in se sperantes liberet: Præclare hic S. Ambrosius lib. de Jos: c. 8. Susanna, inquit, dum tacet in iudicio, melius locuta est in oraculo, & ideo Propheta meruit defensionem, quæ proprie vocis non quæsit auxilium; quorum enim ipsi propriam ab impiis causam non suscipiunt excusandam, Deus sibi sumit protegendam, defendendam & vindicandam

Rever-

412. Revertimini ad iudicium, quia & novum ab ip-
sis postulat examen, qui adeo iniquam dederant sen-
tentiam: quod utinam prestarent pravi iudices, & qui-
cumque primo impetu male locuti vel operati sunt, ut
per retractationem prioris delerent damna iniquita-
tis: quod maximè in falsis testimoniis observandum
est, ut fama laesa reparetur, cuius restitutio eo magis
proæ mammonæ necessaria est, quò illa divitiis est pro-
fartior. Prov: 22. 1. 2

Fecerunt que eis, ut malè egerant
adversus proximum. Disce hìc quàm Deus castita-
tis & innocentie sit index, & vindex, ubi & sapissi-
ma aliàs monstravit experientia, quam pluribus hìc
exemplis comprobat noster Cornelius, ut omnes in
Deum nostram fidenter jactemus curam, ubi forte
fama nostra periclitaretur injustè; tuac enim, si tace-
ter, & patienter sustinuerimus, ille veritatis Auctor, & nos
exaltabit, & nostros humiliabit calumniatores. Ps: 71. 2

Non
colo idola manufacta, sed viventem Deum; sic fortis-
simè coram rege fidem sanctam profitebatur Daniel
scissitatus, sanè à Christianis omnibus imitandus
maximè autem præconibus evangelicis, quibus,
ut opera verbis congruunt, competit nunquam E-
vangelium erubescere, sed ad montem usque Chris-
tum

him Dñum viriliter confiteri, ut et ipse illos confi-
teatur coram eterno Patre. *Matth. 10. 32*

Risit Da-

niel, & dixit: animadvertite &c. hic dolium detegit
Daniel sacerdotum Belis, quos apprimè imitantur
ex Christianis hypocrite, dum externis videntes deci-
piunt cæremoniis, & quasi sub ovium pellibus sunt
intus lupi maxime rapaces, quorum dolus prudenti
animadversione detegitur, ubi opera, occulta, fictis il-
lis non concordant exterioritacionibus: hoc est fermentum
Pharisæorum, à quo monemur, cavendum. *Luc. 12. 1.*

Dirup-

tus est draco, cibo à Daniele dato, qui optime
cibum Eucharisticum præfiguratur ex mente S. h. b. o:
Chrysostomi Hom: 38. in 1. ad Corinth. - isthoc enim cibo
infernalis draco dirumpitur & hoc sacro adipe
ita suffocatur, ut tanto refectos, serculo non vale-
at ultro devorare.

Miserunt eum in lacum leonū

.. & ecce Daniel sedens in medio leonum, ut ejus
præluccret innocentia, & Chaldaeorum cæcitas;
quia nec pana nocet innocenti, & impii peribunt
in adinventionibus suis: atque vel ex hoc mundo
sic Deus beatificat qui patientur propter justitiã,
& eos qui justum persequuntur castigat.

S. VI. Daniel typus Christi, & hominum exemplar. sparsim per totum.

Textus: Fuerunt autem inter eos Daniel &c. Cap: 1. v. 6. Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa. &c. v. 8. Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est. Cap: 2. 19. Tunc rex Danielem constituit principem. v. 48. Eijciant te ad homines. Cap: 4. 22. Daniel vocetur & interpretationem narrabit. Cap: 5. 4. 12. Educitur est Daniel de lacu. Cap: 6. 23. Ecce in nubibus caeli quasi filius hominis veniebat. Cap: 7. v. 13. contra principem principum consurget. Cap: 8. 25. Tibi Dna justitia, nodis autem confusio. Cap: 9. Daniel vir desideriorum. Cap: 10. v. 11. Convicerat enim eos Daniel ex ore suo. Cap: 13. 61. Subvertit eum, & templum ejus. Cap: 14. v. 21.

Breve hic resumer celebriorum Danielis actuum compillamus, ut & aptissimum admiremur Christi in eo typum, & completum imitemur exemplar virtutum: primum initho per modum historiae dabimus, dein in commentario de more monstrabimus secundum. = Daniel ergo in Babylonem ductus, servus que factus, Christum Dnum per optime praefigurabat in mundum venturum, ac servi formam accepturum; illius abstinencia hujus jejunium, superior sapientia Divinam Christi Doctrinam; data illi potentia, datum Christo imperium representabat; Dum ille impios increpat, Christum malis infernum minantem indicat; falso accusatus Daniel, ac pro justitia persecutus, quid nisi Salvatorem referebat pro nobis tanta passurum? anigmata exponens Sacras
 expli-

placantem Scripturas, tempora signans calamitatibus, mundi gaudium afferentem, vir desideriorum Messiam peroptatum, Senes iudicans, Susannam à calumnia salvans, iudicatum annunciat vivos & mortuos, ac unicuique redditurum, juxta opera, ejus; tandem cum Daniel, Bel & Draconem destruens, Christum, prænunciabat de gentilitate, vitis, & demone triumphaturum. Atque sic in alijs quoque Danielis gestis, dictis, aut visionibus licebit plura de Christi Domini vita recognoscere.

Fuerunt autem inter eos Daniel, & prima hic præducat Danielis virtus, quod à puero Dei legem in corde fixerit: Qui enim voluerit altum virtutis ædificium perficere, in teneris annis fundamenta incipiat extruere, tum ne tempus absolvendo deficiat, tum etiam ne vitia præ mature locum usurpent, atque ne desit necessarium parvitas seu humilitatis principium.

Proposuit. ne pollueretur de mensa; optima hæc est spiritualis illius ædificii prosecutio, ut per abstinentiam, tot vitis aditus occludatur; ut que anima ab istis minimis voluntariè susceptis ad majora per alios causata assuescat toleranda.

Dani-

Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est, jam & fructus virtutum percipit, quasi novam pro illo edificio perficiendo doctrinam, viam namque Dei ingressis non desunt de caelo inspirationes, documenta, sancta que incitamenta ad spiritualem profectum, cum Deus sapientiam poscentibus det omnibus affluenter. *Jac. 3. 17.*

Tunc rex Daniele constituit principem, adverte quoque & virtutis apud omnes estimationem, ut, dum ex humilitate honor effugitur, hic ipsos à se fugientes insequatur. sed & Deus humiles ad servire præoptantes aliis præficit, donum que recte gubernandi tribuit, ut eam quam ipsi viam sunt ingressi alios possint ad beatum finem perducere.

Ejicient te ab hominibus; imitanda venit Danielis resolutio in Divinis proponendis ira futuræ iræ, quæ fortiter in ipsorum conspectu regum Dei testimonia veritates que annuntiabat, ne tam in concionibus mitioribus utentes phrasibus, tam necessarium Dei timorem infundere cum propria damnationis periculo omittamus.

Daniel vocetur, & interpretationem narrabit. Dicebant & ejus doctrina, & zeli maxime consci: nam accepta Dei dona aliis participare ad aedificationem, ac

conversionem, magnæ charitatis est, imo & justitia, cum sint quædam bona communia, quæ Deus electis suis, quasi dispensatoribus tradit distribuenda, ut ex commissis talentis duplicatum sic fructum reportent, ut boni ac fideles servi, viliic: administratores &c.

Eductus est Daniel de lacu, absque læsione, quia innocens introierat & fide plenus, innocentia enim præstat in periculis securitatem, fides autem generat evadendi fiduciam, & utraque Deum movet, ut à malis omnibus liberet.

Ecce in nubibus caeli quasi filius hominis veniebat, ubi Daniel de Christi adventu ad iudicium loquitur, persæpe Novissima commemorans, ut optimum innocentie conservandæ remedium, quo omnia nostra districte examinanda attendentes, nosmetipsos attentius hic dijudicamus, ut tam severum iudicium evadamus. 1. Cor. 11. 31

Contra principem principum consurget, ubi Daniel Christum cum dæmone pro nobis certantem contemplatur, ut tantum ingerat memoriam salvatoris, cujus in pugnando constantia, & fortitudo ad fortiter cum vitis bellandum excitat, atque devicti hostis insidias firma fide contemnendas.

Tibi

418. Tibi Dñe justitia, nobis autem confusio:
adverte zelosam in Deum charitatem, attende
profundam Danielis humilitatem, quã propriam
vilitatem agnoscit, ac Dei laudandam magnitu-
dinem extollit: id ipsum nos exequi conentur à Deo
postulantes cum Augustino: Dñe noverim me,
noverim te!

Daniel vir desideriorum, merito
sic dictus ex ardenti zelo homines omnes sal-
vandi, seu ad desideratum finem optimum per-
ducendi; sic nostrum gloriae desiderium efficax
esse oportet, concordans quæ fidei quæ docet, non ni-
si ad finem usque perseverantes in bono esse be-
andos

Convicerat enim eos Daniel ex ore suo
in quo sapientiam charitati apprimè conjun-
xit, illã impios confundens, innocentem istã vin-
dicans; sic utamur doctrina, convenit, non ad
ostentationem & elationem, sed, aut ad aliorum
illustrationem, aut ad piarum causarum defen-
sionem

Subvertit eum, & templum ejus, reli-
gionis observator zelosissimus, non idola solum,
sed & eorum fana demolitur, ne memoria qui-
dem ulla tantæ impietatis persistere possit: in quo &
mys-

mysticum eruitur documentum, ut nempe,
non modo peccata ipsa, sed & eorum quoque
fugiamus occasiones, ac pericula

His que
finem imponamus Danielis historia, neque
enim plura dicere ex instituto licet: De ejus
morte non habet Sacra Pagina, si Auctores
consulimus, ipsa opinionum varietas dubium
ut assolet, potius accrescit, quam solvit; Cornelio
nostro probabilius est, & vixisse & defecisse in Ba-
bylone, hoc que 3^o Cyri anno, seu aetatis centesi-
mo: sepultus est in caverna quadam regio ho-
nore: Vir omnium ore sanctissimus ac mire
zelosus, imò & Martyr à multis habitus, atque
ab Ecclesia inter ceteros relictus in Martyro-
logio 21. Julii. De illo scripserunt Doro-
thæus in Synopsi, & Epiphanius in
Vita ex professo; ejus vero Librum
specialim sunt commentati P.
Gazpar Sanchez, Pererius,
Drexelius, & quicumque
in Majores Prophetas
scripserunt

[Handwritten flourish]

Ca-

patria fuit Geth. urbs, non illa Philistinorum,
 sed quae est in Opher pertinens ad tribum za-
 bulon; nomen, Jonas, quod interpretatur Colu-
 ba; Pater, Amathi, quod sonat veritas hebrae-
 us; unde Jonas nequaquam fuit filius viduae
 Serephana, sed Matris pariter hebraeae, seu Geth-
 aae, ut bene citatus Salinas arguit. Natus
 jam 30. circiter annos revelatione Divina
 in Prophetam electus est, prophetauit que an-
 no secundo Jeroboam secundum, regis Israelis, pro-
 babiliter que ex eodem Salinas, omnium Prophe-
 tarum primus, ac velut praecursor: quomodo au-
 tem ejus facta sit in prophetam electio, non ita
 comperitum est, cum Deus multis eam modis soleat
 manifestare, satius tamen credendum id divinae
 ad Jonam revelatione, contigisse, per species in-
 telligibiles (ut explicat S. Thomas q. 173. art: 2)
 menti infusas à Deo ad mysteria narranda
 percipienda, simul cum impulsu in superiore
 animi parte ad eadem mundo declaranda
 circa quae multa habet citatus Salinas hic

factum est: tō et, etsi vox nulla praecerit
 Et
 sit

sit que usitatum Prophetis dicendi principium, potest tamen & vim retinere conjunctionis, quatenus nempe interna copulat externis, & prius cogitata ad voces proximat; inde namque perutile manat locuturis documentum, ut non nisi mente limata, verba & dicta proferant.

Factum est verbum Domini; ubi mysticose factum ponitur pro elocutum seu inspiratum, ut indicetur Dei verbum ad opus esse dirigendum, cum non precise auditores, sed legis factores sint iustificandi, neque qui audiunt tantum, sed qui simul custodiunt Dei verbum beantur. Luc. II.

Verbum Domini: maxima Dei dignatio, ut viles dignetur creaturas alloqui, hoc que multis & miris modis, occultis nempe, iam inspirationum piarum motibus, iam claris revelationibus, iam symbolicis excitationibus, iam per se, iam per sanctos suos, iam verbis in concionibus, & sacris exhortationibus, aut spiritualium privatis consiliis & monitis, iam tandem factis & eventibus diversis.

Ad Ionam filium Amathi Allegoricè ^{423.}
(inquit hic à Lapide) Ionas est Christus, qui est
filius Amathi, id est veritatis; Ionas que, ut in-
terpretatus Columba, jam vel gemittum pro pec-
catis inducit, jam ad contemplationis volatum
excitat, vel Divini Spiritus motionem annun-
tiat, ut eò addictius hujus Prophetiæ senten-
tiis insistamus, quo Victorem commendatissimū
inspicimus.

S. II. Ionas à Deo mittitur ad Ninivitas,
& in mari procella excitatur. c. 1. v. 2-3-4.

Textus: Surge, & vade in Niniven.. & prædica in ea, quia
ascendit malitia ejus coram me. Et surrexit Ionas,
ut fugeret in Tharsis à facie Dñi.. & facta est tem-
pestas magna in mari.. & Ionas descendit ad infe-
riora navis: & dormiebat sopore gravi.. Propter
me tempestas hæc gravis venit super vos.. & tulerunt
Ionam, & miserunt in mare: & stetit mare à
fervore suo ~

Sibi in Prophetam electo prævenit Deus
ire in Ninivem, ut prædicaret, vel etiã
prædicaret ejus excidium, cujus scelera
in celum clamabant, sicut & Sardanapa-
li tunc ibi imperantis; sed Ionas divi-
ni mandati executionem declinans, Thar-
sim

424. *sim versus eunti navi se commisit; & ecce
subita ex tranquillo equore suboritur
tempestas, quam maris periti cœlihus im-
missam prudenter judicantes, tanti mali
causam inquirunt solliciti, ac ope sortium
delegere tentant; qd, licet medium illicitum,
Deo ob majus bonum dirigente ad
optimum perduxit finem, cum sorte ca-
dente super jonam, hic culpam agno-
vit suam, ad se reversus est, & poenam
irrogat: unde missus in mare hujus
illius cedavit furorem, nauis è mari de-
bitas Deo laudes & grates libantibus*

Surge,
& vade in Niniven, civitatem utiq; ^{Surge,}
grandem ad Tigrim sitam, ut tenet Plin-
nius. *Surge* id est, desine ab opere præ-
senti ut aliud agas; quod sane convenit
recidivis maxime & consuetudinariis pecca-
toribus, ad quos Apostolus inclamat: ad
Rom: 13. Hora est jam de somno surgere te-
nebrarum abjiciendo opera, & tunc exer-
citiâ

citia, seu virtutis induendo dictamina 425.

Et prædica in ea, imminentem utique rebel-
li subversionem: sic enim Deus miserator as-
solet, quas repente merebamur subire, peccati
pœnas præminari, ut qui non mortem, sed
conversionem intentat peccatoris, ut resipiscens
vivat, & non nisi pernotæ veritati rebellis
æternam ex sua culpa pereat.

Quia ascen-
dit malitia ejus coram me, sordidissimos
ait Tirinus Sardanapali mores Ninivitarum
fuerant imitati; & sordidi vitii malitia est
quæ citius ad Dei conspectum ascendit præ-
fatore divinam citius offendit puritatem,
citiusque ad divinum perhians conspectum
citius vicissim divinum in se concitat furorē.
averit pietatem, atque in fœtidum perducit
dæmonis consortium.

Et surrexit Jonas,
ut fugeret, mala surrectio, quæ divini præ-
cepti executionem tentabat declinare: in quo
recte figuratur ficta aliquorum conversio,
qua

426. quæ surgunt ab uno vitio, ut fugiant in aliud, pite observationis difficultate ~~et~~ ~~per~~ causati in procellosum mundi oceanum se gurgitibus immittunt: & quid mirum, si:

& facta est tempestas magna in mari, ubi tentationum fluxus & refluxus animæ navem conscientiam impetunt, ut tandem in profundum demergant malorum, jam præ sopore non advertentes, & vitia ut aquam deglutientes: unde sequitur: & jonas descendit ad interiora navis (ut mundana vanitatis centrum) & dormiebat sopore gravi; quia, qui in malorum venit profundum, monita, minas, & quacumque ad propriam conducunt medelam, contemnit, ex Prov. 18.

Prop-
ter me tempestas hæc gravis venit super vos: verum culpæ lugebæ, indeque delenda principium est ipsius culpæ cognitio reflexa, ejusque noxiorum effectuum, qui non solum afficere solent illius reum, sed & propter hunc omnes eos, qui ratione aliqua quid unum morale cum eo constituunt, ut ei condoleant, sibi

sibi caveant, efficacius que meliora consu- 427.
lant

& tulerunt Jonam, & miserunt in mare,
tandem de causa tempestatis convicti, quam pri-
us naturalem, mox directe cœlihus immissam cre-
diderunt: ubi passim edocemur, non nisi post scru-
tatas naturæ vires, quæ miranda apparent, illi-
cò speciali Dei concursu attribuire: ne gravibus
viam demus erroribus ex tali falsa pietate, &
nimia credulitate

& stetit mare à fervore suo,
cessavit ab æstu jam que fauces clausit, qui-
bus optatum deglutierat pignus: sic & vno mo-
do cessat tentationum procella, dum peccandi
rejicitur occasio, sed & alio modo in detrimen-
tum cessat se ex toto in vitiorum pelagum
immittentibus; Quia, ut bene Kempensis; jam lib: 4.
c: 15.
demon non tentat, quos adeo secure jam pos-
sidet: talem à nobis Deus avertat tranquil-
litatem!

S. III. Jonas in ventre Ceti. Cap: 2.

Textus: Erat Jonas in ventre piscis. & oravit Jonas
ad Dñm Deum suum de ventre piscis. & venire
infernì clamavi, & exaudisti vocem meam. & di-
xit

xit Dominus pisci: & evomuit Jonam in aridam. N. 1. 2. 3. H. 2

Projectum in mare Propheta illico ex Dei ordinatione, pergrandis deglutivit piscis, quem cetum, filisse convenient Auctores ex Matth: 12. N. 40. hic Jonas tribus mansit diebus, ac totidem noctibus mirè illaesus, ideoque Deum, de celi ventre benedixit, psalmis ac versibus, donec, Deo iubente, piscis eum evomuit incolumem, ac tam cruenta imminentis mortis Dei gratiâ victorem.

Et erat Jonas in ventre piscis, impavidus sanè, quia Deus erat cum illo: unde anima, Dei gratiâ, sulca, non habet quod timeat, immò esse videat eximes praelium, in hoc cum Davide speret Ps: 26. et si se in medio crederet inferi, non cesset laudare Dñum, cuius ope nec in medio ignis aestuabitur, tanto adiutore & protectore liberata Eccl: 51.

Et oravit Jonas ad Dñum, & pro Deum laudans, carmine, quod se in tali custodiret periculo: quod maximè in ledenda conscientie periculis, & tentationum victoriis

observare debemus, ne elatos succumbere, 429.
permittat, & avernalis ore leonis consumer-
dos decernat.

De ventre inferi (nempe celi
inferi vastitatem referentis & obscuritatem) in-
vocavi te clamavi, & exaudiisti vocem meam,
ut nemo unquam de Divina pietate desperet,
sed etiam in ipsius iniquitatis centro, qui
penitens clamaverit, se exaudiendum con-
fidat.

Et dixit Dominus pisci, id est ordina-
vit, qui creaturarum omnium, supremus est
Dominus, cui parent, & benedicunt omnia ope-
ra sua, & ultiam aequè obediret rationalis
creatura, quæ cum libertatis titulo majori
adstringatur subjectioni, toties divina
resistit voluntati.

Et evomuit Jonam in
aridam, prope Joppen, ut vult à Lapide
Jona 1. x. 3. inde que vicinam petens Jerosoly-
mam, Jonas Deo gratias egit, vota que facta
persolvit, uti tenentur quicumque ex naufra-
giis, aliis ve periculis erepti, à Deo, vel sanc-
tis

43^o etis ejus per vota, aut promissa, incolumi-
tatem impetrarunt, alias merito vel ex hac
vita puniendi.

**S. IV. Jonas Ninivitis prædicat
excidium Urbis.** Cap: 3. ad N. 5.

Textus: Et surrexit Jonas, & abiit in Niniven juxta
verbum Dñi... & clamavit & dixit: Adhuc
quadraginta dies, & Ninive subvertetur. N. 3. 4.

Jonas jam ab omni periculo securum
portum tenenti, secundo præcepit Deus
ire in Ninivem, inibi que prædicare;
ille que jam obedientior, illico viam ag-
gressus, iter que dierum trium, unico
ipse perfecit die; atque vix amplam in-
gressus urbem, voce elata, populo inti-
mavit, civitatem post dies 40. subver-
tendam, propter habitantium scelera
jam in cælum vno clamantia: in hoc
Jonas ceteros antecessit Prophetas, quod
primus ad prædicandum Gentibus à Deo
fuerit delegatus; Christi que in eo figura
exiterit.

Et surrexit Jonas, obedientior
factus, & prioris inobedientia poenã Deo

subjectior: sic nos, expertis Dei, sanè sa- 431.
lutaribus flagellis, ferventiores evadere cō-
venit, ut sic deletis, quas ex fragilitate,
vel etiam malitia, commisimus culpas, de-
nuò viam salutis ineamus, ne Divina a-
butes pietate, justam incurramus iram

&
abiit in Niniven juxta verbum Dei, pœ-
nitentiam scilicet predicaturus, & minis
à malo cives ejus revocaturus, minarū
namque multa est efficacia, maxime pro
convertendis iis, quos jam, pœ mentis stu-
pore, ac cordis duritia, dulcis amor Dei non
emollit, sed oculis objecta pœna, solet à vitis
coercere, sic que sancto inhiati timore verā
incipiunt induere sapientiam

& clamavit
& dixit, omnium auribus intonans, nemi-
nem metuens, sibi non consulens: in hoc ve-
rum predicatorum exemplar, cunctis verbi
Dei preconibus imitandum, quos oportet pro-
prij immemores commodi, impavidè verita-
tem

432. tem proclamare, nemini blandiri, nulla personarum acceptione detineri, imo nec ullam crudelitatem formidare.

Adhuc 40. dies & Ninive subvertetur, multas misericors Deus concedit peccatoribus inducias, quibus abutentes inexcusabiles reddimur: quod ne accidat, ex nunc à prava consuetudine cessemus, forte enim primum quod meditamur peccatum, fatalis erit subversionis nostræ terminus, à quo nec unicum dabitur pœnitentiæ momentum.

S. V. Ninivitarum pœnitentia.

Cap. 3. à N. 4.

Textus: & crediderunt viri Ninivite in Deum, & predicaverunt jejunium... & pervenit verbum ad regem... sedit in cinere... operianter sacco homines & jumenta... Quis scit si ignescat Deus... & miserus est Deus. N. 4. 6. 8. 9. 10.

Ninivite ergo ad Jona minas attoniti, & Divina mōtione excitati, statuerunt humili Deum pœnitentiâ placare, jejunantes, sacco se ac ciliciis accingentes, ac ipsa pecora inediâ prementes. Rex quoque (nempe Sardanapalus

Danapalus) compunctus, regalibus abjec- 453
tis ornamentis, saccum ac cilicium induit, ac
solum in cinerem commutavit, toti que popu-
lo verbis præfuit & exemplo, divinum à jona
intimatum timens & flagellum: quibus
& humilitatis, & penitentiæ operibus placatus
Deus, & culpam remisit, & penam misericordi-
ter averit.

Et crediderunt viri Ninivite in De-
um; fides est conversionis fundamentum,
etiam in Christianis, qui si fide vivâ, novissi-
morum meditationi insisterent, à vitiis suis
fortiter desisterent, profectò, si tentatus per-
penderet sibi mortem subitam à peccati cop-
summatione imminere, hanc utique non aude-
ret attentare.

Et prædicaverunt jejunium, sub
jejunii nomine, non sola ab esu & potu absti-
nentiâ, sed omnis venit corporis castigatio, &
ab omni blandimento temperantiâ: quod &
secundum dicere possumus conversionis funda-
mentum, quo mens fide stabilita, incipit amo-
ris proprii omnium peccatorum radicis adhi-
bere, quibus curetur, contraria &

434. et pervenit verbum ad regem, qui nempe
avidius jona minas, confecto que ex nautis
miraculo educationis jona de ventre ceti, etsi
prius totus luxu difflueret, compunctus est,
proprie tactus conscientie remorsu, quem ti-
tinam vivacius attenderent peccatores, quos se-
pe Deus simili ad se motione revocat, quin ip-
si resipiscant.

Sedit in cinere, regia abjici-
ens ornamenta, abjecta induens & humiliata,
mundanam superbiam humiliafione corri-
gens, sic que omnium eradicata radice ma-
lorum, omnis statuebat bonitatis fundamē-
tum: optimum Deo placando medium, qui
à longe respicit excelsa, ut deprimat, ad hu-
miles autem se inclinat, ut attollat.

Operi-
antur saccis homines, & jumenta, non quod
hæc culpæ sint capacia, sed ut quæ ad factu-
sacrum prius, sic nunc fierent ad lucum ins-
trumenta: unde iis ipsis creaturis quibus
peccando abusimur, ad Deo serviendum uti
debemus, ad quod nobis à creatore concessa
sunt, & subjectæ.

Quis scit si ignoscat Deus? hoc est, si 435.
averlat comminatam nobis pœnam, cujus
continuus timor semper est apprimè salu-
tatis, si tamen spe & fiducia dulcoratur
non si impiam inducat desperationem, quam
astutus animarum hostis solet ingerere, ut sic
in malorum deveniat hinc profundum

Et miser-
tus est Deus, clementissimus, vel perditissimo-
rum, susceptor, si conterantur, verum & severe
recidivorum ultor, terribile præparans
judicium relabentibus post claram veritatis ac-
ceptam notitiam: unde relapsis in antiqua vi-
tia Ninivitis, & rex, & vrbs, & stirps regia om-
nis per Babilonios, ac Medos fuit excisa

S. VI. Jonas injustè afflictus, à Deo
corripitur. Cap: 4.

Textus: Et afflictus est jonas afflictione magna... & dixit
Dominus: putas ne bene irasceris tu?... Tu doles super
hederam, in qua non laborasti... & ego non parciam
Ninive civitati magnæ? N. 1. 4. 10. 11

Visâ Jonas Dei in Ninivitas miseratione, inde
que irritum factum minatorum suum oracu-
lum, tali affectus est tristitia, ut mori præle-
geret

436. quàm falsus Propheta videri: à Deo tamen
suaviter simul & fortiter sic corripitur in-
juste iratus: cum enim ille extra Urbem sub
parva sederet umbra, eum subito Deus am-
pla contegit neo creata hedera, quam & il-
lico verme subrodente collapsam & aridam
voluit, & novo solis ardore iratum Jonam
sic arguit: tu de collapsa doles hedera tibi
& me gratis concessa, cur ergo velles me de-
lere populum tot titulis meum, ac novo pe-
nitentiæ titulo ad me reversum? Quantum
posthac vixerit Sanctus Propheta, certo non
comperi, si usque ad Ninivæ ultimam des-
tructionem duravit, admodum senex obiit
id enim anno Josiæ 19^o accidit, ut computat
P. Caesar Calinus l. 6. c. 14. de Prophetis: sed
quidquid de annis sit, Jonas & sanctè vixit,
& sanctè obiit, atque ita inter Sanctos repo-
nitur in Martyrologio ad diem 21. Septembris

et
afflicus est Jonas afflictione magna, & injus-
ta quidem, quia etsi vindictam de peccatis jus-
tam appetierit, eam tamen volebat præter ordi-
nem

nem divinae clementiae, quae & delinquentibus so-
let tempus conferre resipiscendi, & penitentibus
veniam de praeteritis indulgere: non tamen mor-
talis in eo culpe Jonam damnaveris, sed solim
zeli indiscreti, & venialis proprii honoris ap-
petitus, de quo à divina pietate corripitur, &
cui longe praepiacet similis Michae affectus
(Mich: 2.) quo dicebat: Utinam mendacium populus se-
querer, cum divinam populo praediceret vindic-
tam.

Putas ne bene irasceris tui, ita credebat
Jonas, uti & alii multi, qui ut ait Thomas Kem-
pensis, cum non bene eis succedit, statim imbu-
tentes fiunt, aut desides, propriae sanè vilita-
tis immemores: quanto satius Job dicebat: si bo-
na suscepimus de manu Dei, mala quare non sus-
cipiamus (cap: 2. v. 10) sed ne scilicet nos amor
nostri, ut zelum putemus, quod verè est ambitio,
vel emulatio, vel proprii pertinacia iudicium.

Tu
doles super hederam, redarguit Jonam Deus
quod villi herbae compatiamur, de vero tot homi-
num interitu non condolet. Sic communiter ho-

438. homines proprium commodum publica utili-
tati anteponunt; quod sanè semper, sed maxi-
me cavendum cum de spirituali proximorum
profectu agitur, ubi corporis omnia despici o-
portet emolumenta; imò & propriam quodam-
modo exponere animam eximia charitatis est,
ut alias Paulus Rom: 9. 3. optabat anathema esse
pro fratribus; Moyses de libro vite deleri Exod: 32.
& S. Ignacius diutius vivere etiam de propria
salute dubius.

Et ego non parcam Ninive? ubi
patet quanto clementior sit Deus hominibus
etiam sanctis, erga homines ipsos, ut omnes de
tanta pietate confidamus, quod si veram de-
delictis penitentiam egerimus, veniam certo im-
petrabimus, ni, ut ninivite, nimium presumentes
relapsi fuerimus.

Atque ex his omnibus discamus
humilitatem, obedientiam, penitentiam, charita-
tem, ac zelum animarum discretum, sanctum
que Jonam veneremur, & imitemur, ex eius lapsu
etsi levi, caveamus, de quo haud dubiè non levem
egit penitentiam à Deo edochis. Jona sepul-
Chri

christum, teste S. Hieronimo apud Taurinum, in ^{439.}
Geth viculo non grandi ostendit. Iohannem de-
mum Christi Domini typum agnoscunt, in eo quod
unus ad gentes missus sit, & de celi ventre die
tertia quasi resurrexerit.

Capitulum XVII.

Machabæi

Ex Libris Machabæorum quatuor, soli
duo ab Ecclesia, & Patribus habentur pro
Canonicis, ii que ab ordinata rerum serie
sunt duo mediæ inter primum, & quartum
Apocryphos: illorum, que secundus, si temporis
esset habenda ratio, primò foret ordine locan-
dus. Sed verò Sacrorum sequentes ordinem
Bibliorum, ex utroque eruemus quæ de nos-
tro modulo ad scopum intentum aphora, vi-
debuntur, consultò prætermittis, quæ quoquo-
modo in dubium, aut controversiam potue-
rint revocari.

S. I. Mathathias zelosus veræ reli-
gionis defensor. l. 1. cap: 2

Textus: Et respondit Mathathias, & dixit magna voce: etsi
omnes gentes regi Antiocho obediant... ego & filii mei
obe-

obedimus legi patrum nostrorum ... & zelatus est legem ... & concitaverunt adversus eos praelium ... moriamur omnes in simplicitate nostra ... & persecuti sunt filios superbie ... & appropinquaverunt dies Mathathie moriendi ... o filii amulatores estote legis .. & benedixit eos, & appositus est ad patres suos. = N. 19. 20. 25. 35. 37. 47. 49. 56. 69.

Cum Judæa & affines populi priorum sanguine purpuraret, quem impius effundebat Antiochus, Mathathias & electionis & successionis jure Sacerdos, ac temporalis Princeps, zelo Dei plenus non ferens Antiochi tyrannidem, occiso primum Jerosolimis ex illius præfectis Bacchide hinc in Modin oppidulum cum filiis suis recessit, ubi ad penitentia opera conversus calamitatem deplorabat, & ecce nomine regis adventantibus nuntiis impietatis constantè insultat, se que impio jussui non pariturum & verbo & facto protestatur, cum duos ibidem idola colentes trucidat: mox in desertum retracto aggregat veri Dei cultorum multitudine, qua, & zelo religionis munitus, & idola & horum cultores plurimos destruxit. posthæc tandem, vel ab ægritudine, vel ab accepto in pugna gravi vulnere mortem sibi imminere prænotens, filios suos, ad

advocans (joannem scilicet, simonem, judam, ^{447.}
Eleazarum & jonatham) eis sancta dedit mo-
nita, patris loco relinquens simonem, sibi vero
in Principatu & Sacerdotio judam successorem
judam, antonomastice dictum Machabæum, à
fortitudine & robore, ut passim hanc explicant
nomenclaturam: quibus expletis Mathathias
obit, & sepultus est in Modin, ejus que sepul-
chrum Simon filius deinde adornari fecerat
adornari curavit.

Et respondit Mathathias, &
dixit voce magna: et si omnes gentes, & ita
vera religioni adherens, ut nec pravo omnium
exemplo posset adduci: sic nobis catholicis dog-
matibus adherendum, christianis que virtutibus,
ut nec subtilia ac pulchra neotericorum dicta,
nec lubrica mundi blandimenta nos valeant
à bono retrahere.

Ego, & filii mei obediemus
legi patrum nostrorum, pro se, & filiis simul obe-
dientiam profitehur legi Dei: in eo & bonam filio-
rum seu subditorum edocens educationem, atq;
hujus fructum declarans, constantiam nempe & fir-
mita-

442 tutem in bono, ut filiis promittit Ecclesiasticus
dicens Cap. 6. v. 18. Filii à juventute tua excipe doc-
trinam, & usque ad canos invenies sapientiam, ita
ut parentes, qui filios pia ab initio educatione imbre-
runt, de eorum in bono perseverantia possint confi-
dere.

Et zelatus est legem; quod est elaborare
ac eniti, ut et alii legem custodiant, exhortando,
confortando, à contrariis propugnando & defen-
dendo: quod & si opere exequi non nisi ex divi-
na vocatione expedit, corde tamen omnes oportet
sanctam legem ita zelare, ut de ejus inju-
riis sincere doleamus, ejusque conservationem
ac propagationem toto animo exoptemus.

Et concitaverunt adversus eos praelium, eos nempe
qui, ut Mathathias, noluerant impio Regi parere,
qui nec volentes ex Sabbati reverentia resistere,
occisi sunt quam plurimi, magno planctu Matha-
thia & suorum: sed verò beati illi, qui passi sunt
propter justitiam; ut quotiescumque in nos exur-
gat tale praelium, in hoc potius speremus cum
Davide, quia Deus nobiscum est, & quos sic mori
permittit, merè traducit in gloriam aeternam.

victuros.

443.

Et persecuti sunt filios superbice,
Qui cum Mathathia pro lege pugnarunt, in-
signem victoriam sunt consecuti, ut tanta, quae
invaluerat superbia, deprimeretur. Hic fructus
est zeli, ac pietatis Mathathiae, ut tantam im-
pietatem aboleret; ut qui ad animarum con-
versionem aspirant iniuriis non frangantur
adversis, sed constanter munus suum prosequen-
tes copiosum sperent laborum fructum, earum-
dem conversionem animarum.

Apropinqua ve-
runt dies Mathathiae moriendi; praehoscens se
brevis moriturum bonus pater, non de ditandis
mammona, filiis, sed pia imbuendis doctrina
cogitat, ad se vocatos sic alloquitur exclamans:
O filii, aemulatores estote legis: o imitandum mo-
ribundis testamentum, cuius legata nunquam pe-
ritura. viam sternunt ad regnum aeternum, ut po-
te initia divitiarum aeternarum.

Et benedixit
eos. & appositus est &c. Benedictione sua di-
vinam in filias impetrabat benedictionem, quae
Deus parentum alligavit benedictioni: Quia nunc
mirum quod Mathathiae filii tam insignes evase-
rint

444. rint maxime Judas inclitus? ut accidit posteri-
tati Abrahamæ tam benedictæ; cujus rationem dat
Deus ipse Gen: 21. 12. Scio enim quod præcepturus
sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant vi-
am Domini. Tot ergo meritis clarus Mathathias
defunctus est, & sepultus cum patribus suis
in suburbio Modin.

S. II. Judas filius, & successor Matha-
thiæ. Strenue pugnat, & vincit.

1. Mach: c. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Textus: & adjuvabant eum omnes fratres ejus... & persecutus
est iniquos... sicut autem fuerit voluntas in celo, sic fiat.
c. 3. v. 2. 5. 6. = Ecce contriti sunt inimici nostri: ascen-
damus nunc mundare sanctæ... benedixerunt in celum,
eum, qui prosperavit eis = 4. v. 36. 55. = In die illa ceci-
derunt sacerdotes in bello... dum sine consilio exerunt in
prolium = 5. v. 67. = Appropriavit Judas... & ceciderunt de
exercitu regis = 6. 42. = Gravavit Judas... iudica illum se-
cundum malitiam illius = 7. 40. 42. = Et audivit Judas
nomen Romanorum... & non est invidia, neque zelus in-
ter eos = 8. v. 1. 16.

Judas ergo, & munere & zelo verus Patris suc-
cessor, civitates Juda perambulans impios omnes
trucidabat; & occiso duce Apollonio, ejus que dis-
perso exercitu, cum paucis potentem Syriæ exer-
tum cum suo duce Serone debellavit: unde iratus
rex Antiochus in Persidem profectus viceregem
suum ibi Sysiam constituit; hic que Gorgiam

cum exercitu misit contra terram juda ubi
 judam provocans fugatus, ac demum devictus
 est: quod solum judas precibus ad deum fisis im-
 petraverat, hinc que illico templa, ac caetera ad
 Dei cultum spectantia, reparari curavit, grati-
 ficis que sacrificiis, ac solemnitatibus peractis,
 ad alias & alias gentes ~~propria~~ oppugnandas se
 contulit, ubi semper victoriis claris impium cul-
 tum idolorum ~~abolebat~~, et veri Dei honorem &
 amorem ingerebat, uti in profligando exercitu
 Demetrii Seleuci filio, qui missis contra judam Du-
 ce Bacchide, dein Nicanore, nunquam potuit pre-
 valere, immo & ducem & copias ~~multas~~ perdidit.
 Posthaec judas foedus cum Romanis inicit cele-
 bri eorum, fama audita, permotus, isque prop-
 te & alacriter acceptantibus sancitum est foedus,
 justum que Demetrio, ut deinceps a juda perse-
 quendis abstineret.

Et adjuvabant eum omnes
 fratres ejus: optimum victoriis principium, unitio
 & concordia, quia, & vis unita fortior, & vera
 virium confortatio est consensus animorum: hinc
 bonus pendet bellorum exitus, sed & omnium feli-
 citas

446. congressuum, ubi suborta, dissensione & pax
interna, deficit, & externis resisti non potest insul-
tibus, dicitur Apostolo Gal. 5. 15. Si invicem mordetis,
videte, ne ab invicem consumamini.

Et persecu-

tus est iniquos: hinc forte etiam dicitur Machabeus
id est extinctor hostium, scilicet verae religionis, sed
quidquid de hoc sit, verum se exhibet Judas Prin-
cipibus exemplar, ut hi vires omnes, & arma, con-
vertant ad impios Ecclesiae hostes conterendos, gen-
tes Deo convertendas, veram religionem toto or-
be amplificandam, & falsam ubique ex toto
abolendam.

Sicut autem fuerit voluntas in caelo
sic fiat, dicebat Judas, iam cum suis paratus ad
pugnam, Deo omnia committens non omissis que
poterat mediis: ubi imitanda patet sancta ad Dei
voluntatem resignatio, simulque humilis in Deum
fiducia; & quidem quaecumque promiserimus
ad optatum consequendum, ni Deus benedixerit,
finem non assequemur intentum.

Ecce contriti sunt
inimici nostri: ascendamus nunc mundare sancta
tot immunditiis profanata. O! ulnam, & hisce
tem-

poribus longè sanctora non polluerentur 447.
tempia nostra: si non formali idolorum cultu,
sacrilegis tamen, plerisque actibus, irreverentijs
vanitatibus; à quibus si nos voluerimus Sancta
nostra mundare, mundanorum tales impietates cō-
trariis devotionis operibus conemur in templis
compensare.

Benedixerunt in calum eum, qui
prosperavit eis. Deo victoriam referentes accep-
tam, unde digni facti sunt, qui de alijs pluribus
gloriarentur: qui enim nil sibi attribuens Deum
agnoscit omnium datorem donorum, plures sem-
per & uberiores gratias meretur ab illo accipere.
unde Kempensis dixit: Semper debetur gratia,
dignè gratias referenti; & auferetur ab elato, quod
dari solet humili, (1. 2. jmit. c. 10.)

In die illa ceciderunt
sacerdotes in bello; dum sine consilio exeunt in pra-
lium; iique socii, & amici judæ, quia nempe sine
consilio, aut ducis consensu, sese immiserunt; hoc
enim plerumque accidit temerarijs, & suo iudicio
nimium fidentibus, ut stultæ præsumptionis, aut
inobedienciæ debitas poenas luant: unde monet
Sapiens Prov. 3. Ne innitaris prudentiæ tuæ. ne
sis sapiens apud te metipsum.

448. Appropriavit judas; & ceciderunt de exercitu regis; prævaluit justus adversus impios, quos si Deus quando que sinit prosperare, hoc & ipsi in suam vertunt perniciem superbiendo, justus autem, etsi armis devictus externis omnia per patientiam in bonum sibi convertit, gloriosior manens victor sui.

Oravit Judas. judica illum secundum malitiam illius, non imprecans malum, sed justam acclamans vindictam, quã videns justus lætatur, ut iniqui, quos suavis non movet amor Dei, saltem ex pœna, resipiscant.

44
audivit Judas nomen Romanorum, in dicitur nempe eorum gesta, quibus permotus voluit cum iis inire societatem, prudenter quidem, si ~~ne~~ mere ut tentaret an vera essent, quæ sibi narrabantur, quia sane non soli famæ credendum ad amicos vel socios sibi copulandos: hinc monet Ecclesiasticus cap. 6. Ad amicos tuos attende, quia est amicus, qui convertitur ad inimicitiam.

Ad. est invidia, neque zelus inter eos; bellum, eloquium, omnibus associatis pernecessarium, ubi enim factiones, contentiones, aut emulationes, ibi nulla ve-

vera societas, pax nulla, seu concordia, immo 449
ut habet S. Iacobus cap. 3. Vbi zelus & contentio,
ibi inconstantia, & omne opus prauum; at ve-
rò pacem habentibus cohabitatur Deus pacis & di-
lectionis ex Apostolo 2. Cor. 11

S. III. Judas moritur, & succedunt ei
Fratres ejus Jonathas, & Simon.
lib. 1. c. 9. 12. 13. 16

Textus: Et vidit Judas, quò defluxit exercitus suus, &
confusus est corde... inoriamur in virtute... ingrava-
tum est bellum... & Judas cecidit... et lugebant dies multos
... & dixerunt Jonathas... Nunc itaque te hodie elegimus
esse pro eo... & surrexit loco Judae fratris sui = c. 9. v. 7.
10. 17. 18. 20. 30. 31 = Comprehensus est Jonathas, & pe-
ruit = c. 12. v. 56 = Vindicabo itaque gentem meam
& sancta = c. 13. v. 6. = Estote loco meo... occiderunt
eum, & duos filios ejus = c. 16. v. 3. 16

Bacchides, & Alcimus in judæam remissi à re-
ge Demetrio, qui Syria regnum recuperarat, mul-
tum in judæos grassabantur; Judas vero dilap-
sis fugâ sociis, cum solis octingentis penè innume-
ros hostes aggressus, vicit quidem, sed victos in-
secutus à tergo conclusus fortiter pugnans occu-
bit; mox Judæi fratrem ejus Jonatham sibi ju-
dæ loco substituant, qui & simili zelo & fortitu-
di-

dine pro patris legibus pugnavit, donec tandem
 dolo & insidiis Tiphonis Asia imperio inhiantis
 captus, custodiae mandatur; cuius loco interim
 Iudaeis praefecto fratre Simone, impie occiditur
 cum filiis suis, eos omnes honorifice sepelivit in
 Modin Simon superstes, qui exinde contra Try-
 phonem ^{victoriter} pugnavit, urbem Gazam,
 ac Ierosolymitanam arcem deditione recepit,
 aliaque heroica facinora in Iudaeorum admi-
 nistratione laudabiliter explevit; dein per filios
 suos exercitus praefectos Cendebaei castra forti-
 ter debellavit; at tandem die quadam a Pto-
 lemæo genere convivio exceptus, una cum
 duobus filiis Iuda & Mathathia, proditorie
 occisus est, quos Iohannes insidias feliciter pre-
 vertens patri Simoni in Pontificatu aequae, ac
 principatu successit.

Et vidit Iudas... & corde
 contractus est, naturali nempe tristitia afflicus
 desertionem suorum videns, hostiumque multitu-
 dinem conspiciens; sed rebus humana via despe-
 ratis, cor ad Deum erigit, qui his, qui non sunt
 robur multiplicat: hinc suos etsi paucos sic
 hortatur ~

Mori-

Moriamur in virtute, perstemus in adversis, ^{451.}
non deficiamus à cæptis: hanc nobis excipiamus
judæ exhortationem, in tribulationibus, calamita-
tibus, tentationibus, ut à bono nunquam decline-
mus, quidquid institerit animæ nostræ hostes, ad
Deum recurramus, patientiam sectemur, fide, spe,
& charitate armati perstemus, & moriamur in vir-
tute; sic enim mori, est propriè vincere.

Ingravatum
est praelium. & judas cecidit, utique post glorio-
sam victoriam, non ignavia, sed infausito belli suc-
cessu correptus: quæ mors non inter adversa, sed
potius inter trophæa debet annumerari, quod ju-
das propria non pepercerit vitæ, ut impijs ad ulti-
mum usque de medio tolleretur.

Et lugebant dies mul-
tos, tantum Ducem sibi ereptum: non enim sem-
per culpandi qui mortuos amicos, vel propinquos
deflent, merito namque deploramus nobis abesse,
quos ad pie vivendum, & bene operandum habeba-
mus excitatores, præceptores, aut adiutores, soli
illi culpandi, qui carnali affectu, aut sine debita
resignatione de suorum morte tristantur.

Nunc
ita

452. itaque te hodie elegimus esse pro eo; læta mul-
tis notitia, cum se ad honorifica se electos vident
munera; & quidem non ita immerito, si sponta-
neâ aliorum electione; verum, quod iudicium
iis timendum, qui sibi prælationes vi, aut mune-
ribus, aut aliis medijs, vel arrogant, vel extorquunt.
Hebr. 5. Quia nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui
vocatur à Deo, & Potentes potenter tormenta
patientur. Sap. 6.

Surrexit loco iudæ fratris sui,
suscipiens jonathas principatum, tum ecclesiast-
icum, tum politicum, cepit & boni principis &
Sacerdotis partes omnes explere. iudæ simul succes-
sor effectus & imitator, uti esse decet prælatorum
bonorum successores, ut subditi ad uniformem
constanter informentur regulam, & antiquarum
usus traditionum conserventur, ac constitutionum
observantia continuatione roboretur.

Comprehen-
sus est jonathas & perit, post partem utique in-
signes victorias, tandem ipse captus est, iussu Tri-
phonis amici ficti, & veri proditoris, ut moniti
Sapientis sedulo observemus, ut consiliarius nobis
sit vnus inter mille, multi enim in labijs indul-
cant, & corde insidiantur ut subvertant. Eccl. 12. 11.

Vindicabo itaque gentem meam, & sancta
 dicebat Simon Dux & Pontifex loco Jonathan de-
 lectus, statuens illico fratris mortem, alias que
 veræ religioni illatas injurias vindicare, uti &
 explevit hostium impetibus reprimendo, & loca sa-
 cra recuperando, reparando, & non exiguis sup-
 plicibus exornando.

Estote loco meo, dixit Simon
 filiis suis, quos mitteret Dux exercitus sui ad-
 versus captas Cerdææ, ^{eos} paucis multa commo-
 nens. Ulci Christianos Christus, dicens Joan. 15.
 Exemplum dedi vobis... ita & vos, faciatis, & sanè
 sine causa sum Christianus, si Christum non se-
 quor. S. Bern.

Occiderunt eum, & duos filios ejus,
 dolo itidem, & prodicione crudeli; ubi si forte
 quis quarat, cur tantos viros Deus permiserit
 necesse tali obire; inscrutato semper Dei arcano, di-
 xerim, id ipsum in ampliore cedere ipsorum
 gloriam, quod armorum tumultu non potuerint
 superari, sed fraude solum, & iniqua astutia, qua
 devinci, potius recti, ac sinceri animi est argumen-
 tum.

S. IV. Eleazari mors gloriosa. lib. 2. et

Textus: Eleazarus compellebatur carnem porcina[m] manducare... At ille preibat ad supplicium... rogabantque ferri carnes... ut simularetur manducasse... Non enim obedi nostrae dignum est, inquit, fingere... & iusti propter meam simulationem decipiantur... cum plagis perimeretur. Dixit: Domine propter timorem tuum hac patior. Et iste quidem hoc modo vitam discessit. N. 18. 19. 21. 24. 25. 30. 31. ~

Eleazarus (non ille, iuda Machabaei frater, qui, & ipse forti animo vitam pro communi suorum salute, prodegit, ut l. 1. cap. 6. enarratur) sed unus de precipuis Scribarum, & scientia divinarum scripturarum praeclens, quem vult Hieronimus l. 3. c. 2 & 4. sacerdotem & interpretum exhibuisse proecipuum: verum quidquid de hoc sit, ille & sentio & virtute provehens, Antiochi Epiphanis tunc gravantem tyrannidem ac impietatem summe detestabatur, cum ecce ad illum quoque Regis iussu accedunt, ut immundis sacrificiis oblatas carnes comederet, aliis cruenta subiturus supplicia, at ipse invicta constantia nec ut id facere simularetur, potuit adduci: quare oppressus illico, & crudeli morte affectus est, posteritati in fortitudinis exemplum relictus. ~

Eleazarus compellebatur carnem porcinam ^{435.}
manducare; externa, fuit tentatio, quam saepe
boni per malos patiuntur; ex his enim & hoc bo-
num eruit Deus, teste Augustino, ut per illos bo- ^{in Pl. 54.}
ni exerceantur: compellit quidem tentatio, quia
purè humanis viribus invincibilis; sed Dei gratia
resistentibus ipsa ex toto devincitur.

At ille præi-
bat ad supplicium, mallens corpus detorqueri,
quam animam inquinari; ita Sancti non pau-
ci, ut peccandi periculum averterent voluntariis
se macerabant cruciatibus; ita etiam tentatis
præeligendum omnia potius mala, quam ani-
mæ subire detrimentum.

Rogabant afferri car-
nes, ut simularetur manducasse; cò hic gravior
tentatio, quò astutior, quasi posset simillando,
& peccatum & mortem devitare; sed verò simu-
latio talis, utpotè scandalosa, & aliis perniciosissi-
ma nullatenus potuisset à peccato excusare: sic
hisce temporibus mundani in multis falluntur cū
saeculo servientes simul & Dei legi se putant accom-
modari: sed caveamus: Deus non irridetur; non ^{gal. 6. 7.}
possumus Deo servire & mammonæ. ^{Luc. 16. 13.}

Non

456. Non enim aetati nostrae dignum est, inquit,
fingere. Utinam sic Christiani attenderent di-
nitatem suam, ut Divinae naturae consortes effec-
ti, nolent unquam ad quae mundus provocat
degeneri consensu declinare, sed potius tantum
memores originis constanter Deo adherere, ei quae
studeant palam deservire in spiritu sinceritatis, & verita-
tis.

Et ipsi propter meam simulationem decipi-
antur: quodlibet, etiam parvulorum, volebat tace-
re scandalum sanctus senex, senium omnium
ac praetatorum, nec non & parentum exempla,
ut quaecumque subditis habet, bono semper pra-
eat exemplo, & multis quae etiam licitis sciat ab-
stinere, ne videntes imitatione decipiantur.

Cum
volagis perimeretur: dixit Dñe, conversus ad
Deum in tormentis (puta flagellis, vel confusio-
nibus, vel aliorum instrumentorum cruciatibus)
constantiae suae iteratum dabat indicium, & pra-
voluntatis argumentum, quasi typus incluit Lau-
rentii Christi Martyris, qui positus in craticula
Deum non negavit sed ferventius confessus est
Propter timorem tuum haec patior, filialem scilicet

cet timorem, quo Deum offendere timuerat, ut ⁴⁵⁷
debet Sanctos, imò & Christianos omnes, quos non
merca debet à culpa deterrere comminatio pana-
rum, sed à mor Dei quem adeò offendit gravitas
delictorum.

Et iste quidem hac modo vita discessit,
o! felix discessus; o! laudandus discedendi modus;
o! mors desiderabilis, quã cessat tribulatio passio-
num, & aeterna tribuitur possessio præmiorum.
Imitemur ergo Eleazari fidem; patientiam;
constantiam & fortitudinem, ut mori millies
præoptemus, quàm Deum, vel leuiter, habere
offensum.

S. V. Martyrium septem Fratrum
Machabæorum cum Matre. l. 2. c. 7.

Textus: Parati sumus mori magis quam patrias Dei leges pre-
uariari... unã cum matre invicem se hortabantur mori
fortiter... Supra modum autem mater mirabilis... Peto
nate ut aspicias ad caelum. Abvissimè autem post fi-
lios & mater consumpta est. N. 2. 5. 20. 28. 44.

Ad Eleazari præclarum exemplum, fortiter
cum tyranno Antiocho pro veritate certarunt
septem fratres, & ipsi dicti Machabæi, vel itidem
à constantia & animi fortitudine, vel ab incluta
Ma-

438. Matre sua Machabæa, vel primò fratrum Machabæo dicto: reliquorum nomina passim hoc ordine recensentur: Aber, Machiri, Judas, Ahas, Areth, Jacob: hi ergo omnes in tyranni conspectum adducti, ut vel carnem illam porcina[m] manderent, vel diris cruciarentur suppliciis, successive singuli impietatem detestati, impium regem sanctæ redarguunt audaciæ, & constanti mortem perferunt patientiæ: ubi verò ad ultimum perveritum est, & fortissima matris tentatur constantiæ sed, quæ cæteros, sic & septimum filium ad tolerantiam, & perseverantiam mirabiliter adhortatur; hinc quæ toties in filiis devicto tyranno, & ipsa ob eandem causam perempta multiplici victoria celebris evasit.

Parati sumus mori magis quam prævaricari; En ubi fructus constantiæ Eleazari, quem inde merito vocant S. Patres Doctorem & Magistrum istorum puerorum, qui & ipsi præcipue laudandi, quod tantum exemplum sint secuti: sancta quippe non desunt exempla, sed qui imitentur, per pauci inveniuntur.

Unâ cum matre invicem se hortabantur mori fortiter; idque verbis præstabant

Fide

489.
fide, ac spe divina. plenis, quibus perituras mu-
dis sperendas delicias, aeternam que appetendam
retributionem declarabant; si namque hac duo at-
tentè consideratione pensaremus, quis esset, qui mo-
mentaneum aeterno præferret, quis pro instantaneo
delectamento se perpétuis manciparet inferni sup-
pliciiis. 2^a

Supra modum autem mater mirabilis, quæ
naturali filiorum amore moderato, & carnali in-
tohim devicto hortabatur, instabat, festinabat, ut
filii pro veritate interirent, ut quos semel peperer-
at mundo, gloriosius pareret cælo: tam heroica
fortitudinis exemplum aliqua inclite novi Testa-
menti femina sunt secutæ, ut S. Felicitas, S. Sym-
phorosa, in eo amantiores matres, quod filii bo-
num voluerint incomparabile, sempiternum, in-
enarrabile.

Peto, nate, ut aspicias ad cælum, di-
cebat mater filium roborans; quia cælum aspi-
cienti sordent terrena omnia; nemo potest sa-
tiari, nisi apparuerit illa gloria; ibi aeternum
gloriæ pondus paratum est pro modico tribula-
tionis perpesso, pallium laurois pro merore,
pro mundi despectione sedes regni in sæcula.
No-

460. *Provisimè autem post filios, & mater consumpta est, ne et ipsa, eâ careret gloria quam filio invicto procurarat certamine; ut eorum morte gloriosa, sui victrix existeret, & sua consumptione de tyranno triumpharet, de tot victorijs celebranda, pro tanta virtute admiranda, tali religionis ac pietatis studio imitanda. Ejus & filiorum veneranda memoria proponitur in Martyrologio Romano prima Augusti*

S. VI. Antiochi mors detestanda. Cap.

Textus: Contigit, ut Antiochus post fugam turpiter rediret. Percussit eum insanabili & invisibili plaga... contigit illum de curru cadere... eum nemo poterat propter intolerantiam factoris portare... capit ad actionem sui venire... peregre in montibus miserabili obitu vita functus est. N. 2. 5. 7. 10. 11. 28.

Antiochus, Epiphanes & illustris dictus, sic que solum à vitis & crudelitate dicendus, filius fuit Antiochi Magni, pater Antiochi Eupatoris, successivè regnum Syriæ, qui & ipse, cum suo ordine regnaret post mortem Seleuci Philopatoris, fratris, Judæos & sancta omnia tyrannicè est persecutus, vitis omnibus, Superbiæ imprimis, gula, & luxuria deditissimus; crudelis in omnes, sui solius estimator, & amator; ita ut ei applicentur proprie quæ præviderat Daniel Cap: 7. & 8. postquam ergo

ergo iterata tyrannide, crudeli ac impio suo
 satisfecisset animo, dum que à Persepoli, fuga-
 tus judæos ad internecionem perdere meditare-
 tur, ipse Dei iudicium evadere non valens maxi-
 mis viscerum doloribus capit exagitari, mox
 satore ipsi met intolerabili ex ejus corpore vermes
 scaturiunt, & infanda putredo, sic que post vitio-
 rum suorum agnitionem, & promissam, sed sero &
 inutiliter emendationem, sordida, ut merebatur, &
 detestanda morte occubuit, scripsit ad judæos lit-
 teris, ut filio suo subditi persisterent.

Contigit, ut
 Antiochus post fugam turpiter rediret, seti inhones-
 te, ut ibidem præponit textus, fugatus nempe fue-
 rat qui non terræ solum sed & cælo dominari appe-
 tebat; Deo sic resistente superbis, ut quos sinit ali-
 quo tempore prosperare, ex altiori deprimat vani-
 tatis culmine, ut et ipsa prospera non sine timore
 recipiamus, & in adversis nos credamus à lapsu
 securiores.

Percussit eum insanabili, & invisibili
 plaga, teterrimæ melancholicæ, cholicæ, remorsus
 conscientiæ, ut illi abs dubio & hic esset pena de-
 lictorum, simulque, si voluisset, eorundem medici-
 na

na, ut assolet Divina misericordia ferire peccatores, ut in se reversi, per tuiam crucis viam ad sibi faciant ad gloriam: sed vae his, quibus ne vexatio dat intellectum.

Contigit, illum de curru cadere, ut & visibiliter tanta opprimeretur superbia, quae non nisi contraria humilitione potest aptè curari: hoc, & illud maximè superbiorum Angelorum exemplum deberent assidue memorari, qui de terra in caelum sibi praesuperbiã nidum ponunt, ne, vel in hac vita, ut Anthonchus, peccatorum pondere deprimantur in terram, & tandem, & cum illis spiritibus detrahantur in tartara.

Eum nemo poterat propter intolerantiam fetoris portare, non Deo solum, sed iam & hominibus, imo & sibi ipsi odibilem, ex carnis putrefactae grave olentia, vermium ac pediculorum copia redundante, ut ex omni parte vivum consumerent: en imago vilitatis humanae, ut non

Ps. 9. apponat ultra magnificare se homo super terram, terra namque flores germinat odoriferos, suavesque fructus, ex homine lentis pediculi manant & fetor intolerabilis, quibus attentis vilius sterquilinum

C. 3. Medit: non invenies, ait Bernardus, ut merito Job pu-

credidi dixerit: Pater meus es, mater mea, & soror mea vermicibus

Capit ad agnitionem sui venire, ex tam palpabili proprie vilitatis experientia & evidentiâ, jam advertit se hominem esse miserum, & mortalem, non Deum ut stultè sibi arrogarat: unde & Deum orabat, sed fictè & infructuosè, qui non ex peccatorum dolore, sed ex morbi afflictione orabat; non illum, ut debuisset, de Deo offenso penitebat, sed de malis aut miseriis incursis: hinc

Peregrè in montibus miserabili obitu vita functus est, cum scilicet in Babylonia provinciam devehit auctis notabiliter doloribus infelicem efflavit animam, terrificum mortalibus relinquens exemplum, tum ut à vitis omnibus sedulo caveant, tum ut de commissis prematuram penitentiam agant, ne & hujus quæ à Deo est, differendo reddantur indigni, & morte pereant vitæ simili

Hæc sunt, quæ de Machabeorum Libris eruenda statuimus, & ad nostrum sufficiunt propositum, cum in iis habeamus illustria quæ laudemus, sancta & pia quæ imitemur

464. mur; nec non & funesta, quæ caveamus, ac per-
 timestamus: hic ergo, & finem imponimus pri-
 mæ hujus Opusculi parti, ex qua utinam
 & fructum nostri talis qualis laboris col-
 ligere valeamus, primum in nobis ip-
 sis, & inde in proximorum animis
 ad bonam frugem reducendis,
 ad perseverantiam in bono
 excitandis, ad vitam æ-
 ternam perducendis.

~~at 2 Oct.~~
 1741

FINIS

Series Capitulum

I. Adam.	Pagina 1.	X. Saul.	134.
II. Noe.	14.	XI. David.	161.
III. Abraham.	25.	XII. Salomon.	189.
IV. Jacob.	40.	XIII. Josias.	236.
V. Joseph.	52.	XIV. Jehu.	236.
VI. Moyses.	65.	XV. Esdras.	255.
VII. Josue.	83.	XVI. Tobias.	275.
VIII. Gedeon.	98.	XVII. Judith.	305.
IX. Sampson.	113.	XVIII. Esther.	331.

XIX. Job.

356.

XXI. Jonas. 420.

XX. Daniel.


383.


XXII. Machabœi. 439.


[Handwritten signature]


[Handwritten signature]




















1850

Caja
1850